

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm
Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Decas Prima

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1617

Liber Primvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11209



IOSEPHI
RIPAMONTII
EX DOCTORIBVS
COLLEGII AMBROSIANI
HISTOR. ECCL. MEDIOL.
LIBER PRIMVS.



A THOLICA res, & hoc religionis imperium, quod Ecclesiæ nomine complectitur omnia, non parum mihi videtur habere varietatis & casuū, licet politici homines alterum dominatum, & fœcunda periculorum regna magis admirantur. Non consilia principum, non arcana dominationis, non rerum hominumque vicissitudo, non magna exempla, magnæ virritates hinc absunt. Peruersa quoque ciuilium ingeniorum oblectamina, bella cædesque, & quicquid incommodi sibi reperit vita, sacrati homines experimur, haud minus profecto quam in profana Rep. malorum artifice. Sæpe sunt in-

A uen-

uenti, quos humani animi vitia prosequerentur usque ad mysteria & aras, sæpe fulsit inter saga toga, & aliqui, cùm sacros honores capesserent, ex communi mortalitatis contagione non excessere. per hosce nimirum est effectum, ne turbas atque seditiones, & reliqua monstralia profanis rebus inuidemus. Ita pabulum est in Ecclesiastica historia, siue multiplices honesti vias consequari lubet, siue ab tristis animi vitiis delectaris sanguine, tragicosque velut in scena spectare casus amas. iam illa, propriam hic sedem atque domicilium habent, quæ alibi reperire non possis, ingentes animæ & radiata capita Martyrum aut virginum, aliorumve, qui fortiter certamine domuere corpus & mortalitatem. Campus est hic uniusversus Ecclesiastici iuris, nec vlla regia regnumve tantam historiæ materiem suppeditauerit. Sed nescio quomodo tamen accidit, ut decora semper ingenia magis alteram in partem inclinarent, sacra & Ecclesiastica perinde non sectarentur. Et, cùm singulis urbibus, quæ modò noscuntur aliquo nomine & fama, singuli pènè scriptores obtigerint; Ecclesiastica res ferme filetur ut minor pudenda certè culpa, hominum ne dicam? qui vnde speci plus ostenditur, eò malunt adlaborare; an temporum ipsorum? queis diuersa studia, & diuersi homines impensis hic fouentur. Haud sanè ego sum ille, quem vlla pars Reip. scriptorem optauerit, quive sæculi corruptelis ire obuiam velim. Ne otium quidè mihi erat modestum, ut querere necesse haberem leuamina. Sed quia videbam, res Ecclesiæ Mediolanensis carere luce, quam meruere, ideo ad scribendum animum appuli. Accedebat huius Ambrosiani Collegij authoritas & consue-

tu-

tudo, in quo, cùm pro se quisque scribat, vñus ego cessa-
re non poteram, assumptus videlicet in spem eandem,
& ab ipsomet Authore Collegij (quod gloriari licet)
grauissimis monitis ad huius historici negocij di-
gnitatem & innocentiam informatus. Cæterum, non
præfabor vñtata, de magnitudine operis & fide mea,
cùm neque mendacij suspicio attingat persequentem
vetera, vbi nullum pretium adulatioñi, & hic ipse Me-
diolanensis Ecclesiæ titulus præfationis implere vicem
possit.

NR BEM MEDIOLANVM condidere
Galli, qui Belloueso duce superatis Alpibus
Insubriam occuparant, nec ferme vlliis vetu-
stæ rei clariorem memoriam Italici annales
tradunt. Vrbs ea facile creuit in magnas opes, & breui
tempore, multarum gentium æmula arma conciuit.
Non Galli conditores, non vindex Romanus, non Go-
thicæ vel Germanicæ gentes ibi diuturnum imperium
habuere. Et postquam externo soluta dominatu domi
principes & gubernatores inuenit, per varias Reip. for-
mas, perque regnatrices domos est peruagata, magna
rerum vicissitudine, donec Austriacæ potentia pars fie-
ret. Sed populi Mediolanensis initia & ætates, casusq;
prosperos, aut aduersos, clari scriptores memorauere.
Nos Ecclesiæ tempora pontificesque separatim exsequi
mur. Pontificatum & religionem Mediolani Barnabas
Apostolus instituit, neque ambigua in eo est litterarum,
monumentorumve fama. Barnabam in Cypro Pam-
phylij maris insula patre nobili & opulento natum ac-

A 2 cepi-

cepimus. Sed genus atque stirpem ultimam omnis memoria refert ad Leuiticam Tribum, quæ clarissima nominis Hebraici, & magnorum virorum secunda olim fuit. Ex ea gente Barnabæ parentes oriundi, cum Hierosolymis auita ciuitate per bellicos tumultus excidissent, quo tempore Pompeij magni arma grassabantur, Cyprum exulatum iere. Ibi tam secundo post calamitatem euentu sunt vni, ut facile principum dignationem adsequerentur. Pars fortunæ fuit salua matre natus infans, quem felici nomine Iosephum appellauere, tanquam incrementa magnæ futuræ gloriæ diuinitus præfigirent. Eius quippe vocis interpretatione, cumulus omnium rerum, quas vita expedit, continetur. Mansit hoc postea puerο nomen, donec relatus in septuaginta duos, Barnabas appellaretur. Ita natus, ita nuncupatus infans, prima statim indole, primisque significationibus & argumentis, unde pueriles animi, spes domus, & latentia ingenia coniecantur, nominis augurio parerat. Vulgo sic opinabantur, aiebantque omnes, illo in puerο, Mosen diuinum, & alia Leuiticæ Tribus decora redditæ esse mortalitati, hunc fore, qui damna exsilij, qui patriæ clades sua olim virtute sarciret. Tanta erat amabilitas & gratia, tanta erectæ semper in Deum mentis altitudo, siue faceret aliquid puerulus, siue loqueretur, Cum ea spe, & approbatione populari, post primam institutionem ac teneræ ætatis rudimenta, mititur Hierosolymam à suis, ibique honestè ac liberaliter habitus, Gamalieli operam dedit, qui tunc iuuenientium studia, cœtus habebat. Prædia, quæ peregrinanti illuc filio, parentes attribuissent, fama me-

mor

mor in multum tempus ostendit; condiscipuli Stephanus, & Paulus memorantur. Vsus est Marci Ioannis domo, qui Mariæ filius, & ipsi Barnabæ consobrinus, neque studijs ab eo, neque pietate discrepabat. Cùm iuuenis in hunc modum, authore, sicuti dictum est Gamalièle, animum excoletet ijs litteris, quibus ingenia tunc ad magnæ fortunæ cultum excitabantur; Christus ipse concionabundus melioris disciplinæ magister apulit Hierosolymam, & ciuitas vniuersa statim in eum est obuersa, miraculo, ac nouitate rerum, quæ supra naturæ ordinem fiebant, quæve de futura sempiterna vita dicebantur. Multi se se quotidie ad illum aggregabant, & mox in Barnabæ quoque pectus descendit admiratio latentis Dei, qua ciente sensus intimos, nouus discipulus omnium illicò rerum humanarum curam & cogitationem abiecit. Itaque sectari Christum assidue, excipere verba, gressum obseruare, deiijcere nusquam oculos ab illo pleno maiestatis ore, donec vita pudore, qui tenuerat aliquandiu cunctantem, petiit, & obtinuit, ut inter cæteros gregales admitteretur. Vbi verò est admissus, exiliēs gaudio cōfestim hospites suos Mariā & Ioānē nuntius repertæ salutis adit; vtrūq; vocat in spē eandē, & vtī paria capessant, hortatur. Sic ijs quoq; ad Christum adiuncti meruere summum decus, ut ipsorum in ædes ipse Christus immigraret, atque consecraret id domicilium salutis humanæ mysterijs & augustissimo liberatoris ipsius hospitio. Hæc scilicet fuit illa domus, in qua Christus vñā cum suis ultimūm cœnauit, quæ Deiparam Virginem, trepidosque metu Iudaorum Apóstolos occuluit, donec cælesti spiritu

confirmati, nihil iam humanitus timerent. In hunc modum adscriptus Collegio Discipulorum Barnabas eminebat statim è corpore, & ab omni mortalium rerum contagione penitus auocato animo, totus erat diuinatus. Fortè congruerat, vt ei parens vterque decederent hoc tempore, magnosque pecuniaæ fructus, & ampla vectigalia, & feraces agros obtineret. Id omne patrimonium, excepto suburbano, diuendidit, indeque redactum pretium pauperibus est clargitus obtemperans aletate mira, tremendæ voci, qua non aliter constare posse salutem inaudisset. Mox & suburbanum ipsum alienauit, indigna Christi nece perculsus animum, & magistro crepto respuens alimenta vitæ. Aggreditur deinde longe maximum & pulcherrimum opus magni Pauli conuersionem, quæ tractura secum esset vniuersam pænè gentium colluuiem, & conciliatura Christo populorum agmina. Rem eam paullò altius exsequemur dantes hoc parenti & auctori Mediolanensis Ecclesiæ, ne quicquam omittamus eorum, quæ vitam & memoriam ipsius attingant. Sic & magnitudo nominis illius postulabat, & ordo rerū, & series ipsa peregrinationis, qua post Apostolicum in ea terra munus, ad nos venit. Paulus veluti dux erat Hebræorum furoris, & amentiæ, tanto violentior atque capitalior ille quidem, quantò magis fama sapientiæ pollebat inter suos, & quò plus auctoritatis ac nominis inter eius æui philosophos obtinebat, Vulgo Saulum vocabant, præcipuum terrorem christiani cœtus, qui cum disputandi causa non temerè congregari quispiam auderet. Adeò potens erat, vera in contrarium vertere, suisq; rationibus & argumētis

tis contra differentes illigare. Nouerat prompta, occulta, & ea, quæ forent confutandæ legi, his ille iam expletam legem tuebatur. Neq; verò cauillis tantum, & captiosæ disciplinæ telis armatus agebat, sed in manu erat gladius, & sanguinaria potestas, & ubi ratione vincetur, necis arbitrio superabat. Hunc Barnabas aggressus, castigare monitis, argumentis conuincere cùm tentasset, retulit primò contumeliosa responsa, tāquam nudus ipse, inops, & omnium honestarum rerum egens, aberraret à vero, &, qui tunc vulgaris erat in Christi nomen & dogmata cauillus, ignobilem fabrum immiscere diuinitati, eiique cælestem originem adsignare conatur. Sic unus, alter, plurimiq; cum Paulo, super ea re, Barnabæ congressus irriti atq; inanes fuerunt. Et dicitate premebatur, & violentia, effodiebantq; Apostolico pectus homini, simul condiscipuli percuntis tenerima miseratio, simul imminens ab eius furore periculum vniuerso honorū cœtui. Haud multò post, pro Barnaba Numen disputauit, fractumq; penitus aduersarium abiicit ad ipsius pedes. gesta res est in hunc modum. Tendebat fortè Damascū Paullus, eoq; trucem in Christianos omneis animum afferebat, cùm ei terrificus repente de cœlo splendor affulgit. Haud dubiè diuina uis erat. Itaque consternatur exanimis equo; simul maior humana vox auribus intonuit. Hæc dicta, Saule, Saule, quid me persequeris? Iacebat humili Paulus, non sui compos, non iam vitæ certus. Audet tamen interrogare quid sibi vellet Numen, & quid imperaret. Ita clemens responsum, & cælestia mandata pignora salutis accepit. Post aliquot inde dies ab Damasco Hiero-

fo-

solymam profectus, ipsi Barnabæ seriem visionis exponit, deflet vetera, futura promittit, & illius opem in vota suæ conuersationis implorat. Contremuerant statim adspicere Sauli quicquid hominum Christianorum erat Hierosolymæ, & quacunque notus hostis incederet, inde fideles, velut à præsenti exitio diladebantur. Carnificum & laqueū, &, quæ tunc erant in vsu, tormentorū ingenia omnia & commenta, veluti si circumferret Paulus, ita procedente illo, fuga & consternatio passim fiebat. Barnabas enim verò, circumire, monere vanum esse terrorem, ostendere ac docere, quemadmodum, ad Christianæ fidei tutelam, esset illa traducta vis ingenij, quæ antea perniciem & excidium intentaret. Is timendi finis fuit. Rarò inde semotus ab ipso Barnaba nouus præco, statim erat inter subsidia & firmamenta Christianæ rei, vnanimesq; viros attonita gentilitas agnoscebat, neq; per alios magis ipsi principes Ecclesiæ, si quid publicè rei agendum, esset, agebant Antiochiae cùm morarentur, tanta repente vaticino spiritu denunciata est inopia rerū earū, quæ sunt alendo corpori, ut non secus atq; si malorum extremū instaret; ita prouidentissimus quisq; inhorresceret metu, & orbis vniuersi vastitatem ac solitudinem animo perculso miserarentur. Sed Christianorū præcipuam fore cladem apparebat. Quò magis in publicū inuisi, & ab ciuili velut ope dirempti, eò magis carituri vitæ subsidijs, & commune malū præcipuo damno sensuri esse videbantur. Multi iam ex Antiochenis, iū nobilitate, tum plebe in Christi verba erant adacti; nec facile alibi pietas flagrantior, magisve incitati animi demerendam ad salutem inuenirentur. Cum hoc ipso

ipso sanctorum cœtu agunt Ecclesiæ capita, vti mif-
riæ fratrum velim obuiam ire, conferant in publicum,
ex priuato quantum quisque possint, liberatores haud
dubiæ desertæ plebis futuri. Valuere apud Antioche-
nos, siue magistrorū monita & preces, siue pietas ipso-
rum, & diræ famis horror, & rarus ille sensus alieni pe-
riculi, siue simul omnia; tantumque pecuniæ redactum
est, vti dispersis tota Iudæa Christianis, eo subsidio, an-
nonæ affatim pararetur. Collecta ea dicta, manetque
id hodie nomen & ea consuetudo, quotiescumque ma-
gnæ necessitatî simile subsidium paratur. Auti & argen-
ti pondus, Barnabas & Paulus deuehendum curauere
Hierosolymam, ipsique sunt missi, vt eam pecuniæ sum-
mam æquabiliter & cum ratione dispensarent. Hoc
defuncti munere gratissimo in Christū, gloriose apud
homines, Antiochiam ab Hierosolyma reuertitur, ibi-
que rursus alliciendis & vocandis ad salutem homini-
bus insistebant, cùm Ecclesiæ principes de ipsis Barna-
ba & Paulo decretum Sancti spiritus accepere. Id autem
fuit huiusmodi. Barnabas & Paulus, in opus, cui sunt
destinati, segregantur: segregati, mandata, quæ ipsis edi-
ta fuerint, obeunto. Commonis eo decreto, atque sicuti
consentaneum erat, erectis omnium animis, indicitur
Christiano nomini commune ieiunium, cum ea preca-
tione, vti moueret Numen suum Deus ipse ad indican-
dam clarius adhuc aperiendamque voluntatem suam,
ne quid scilicet in tali tantaq; re facerent securus, atq; ipsi
placitum fuisset. Postquam satis, & precibus, & perseuer-
rantis inediæ rigore, diuina lux est quæsita, mandatum
exsequuntur; Barnabam & Paulum tenentes capita ma-

B nibus

nibus Apostolos creant . Ea legitima & iusta , suprema-
que potestas erat Euangelij prædicandi , quam antea ve-
luti delegatam extraordinariamq; potestatem obtinuis-
sent . Ita cæteris Apostolis adscripti diuino iussu Barna-
bas & Paulus , nouis prouincijs intulere facem Euange-
lij , quæ prouinciæ , contumaces ad præcepta salutis ac-
cipienda , veteres præcones , nouos Apostolos exercuere
miseris modis , ipseq; Paulus aliquando , fœda visu , acer-
ba relatū , Listris , Iconij , Paphi sese passum refert . Iconij
cùm vterque cōcionarentur euentu vario , lātosq; plau-
sus , & contumelias infestas , diuersis animorum moti-
bus agitata ciuitas alternaret ; ingens operæ pretium fe-
cere , traducta in partes Tecla virgine nobili , quod po-
stea nomen & exemplū Mediolani Barnabas habuit in-
ter instrumēta religionis , meritoq; primæuū hoc Eccle-
siæ Catholicæ decus asserit vrbs nostra sibi , vel quia pro-
diit ex præceptis ac disciplina Barnabæ simul & Pauli ,
vel quia præcipuā diuini corporis partē in hunc diē ad-
seruamus . Tecla princeps omniū suo perhibuit robore
testimonium Euangeliō , quæq; Stephano palma inter
viros fuit , hanc in ea virgine sexus alter præfert . Haud
fuerit alienum illius exponere conuerzionem & marty-
rium , quæ nostra dici potest veluti gentilis & condisci-
pula , ex cuius ferme cultu colere ac venerari superos in-
stituere maiores nostri . Iconij nata parentibus hone-
stis , ob excellentem formam , & clarum genus atq; pa-
rem animum , clarissimo ac ditissimo cuiq; statim expe-
tebatur . Parentes , quem maxime probabant , elegere ,
haud sine cæterorum fremitu ac tumultu . Iuuenis no-
men variè traditur ; vni certè desponsa , iam inco erat ,

vt

ut principum virorum gratulatione deduceretur, cùm
auditis Barnaba & Paulo, conceptaq; meliore flamma,
diuersas agitare nuptias occœpit. Ita muliebri mundo
nuptialibusq; donis abdicatis, sese Paulo lustralibus a-
quis expiandam offert. Fit ob eam rem vrbe tota mo-
tus ingens animorum. Vulgo veneficos atq; corrupto-
res iuuentutis Barnabam & Paulum insectantur; hos es-
se, qui clarissimam virginem in splendido matrimonio
collocatam infatuarint, quiq; si sic agere liceat, pertur-
batur omnia, statumq; ciuitatis euersuri suis esse con-
cionibus videantur. profectò si sint in vrbe leges ac ma-
gistratus, obuiam eundum esse temeritati & furori, se-
ditiososq; concionatores, vinculis saltem esse coercen-
dos. Hæc aliaq; passim ab turbulentissimo quoq; Ico-
niorum in Apostolum vtrunq; iactabantur. Sed præci-
pua erat in Paulum ira, quia is fortè adolescentulam ab-
luisset. Hunc enim uero in teturum obscurissimumq;ue
carcerem abstrudunt. Non tamen deterrita est Tecla,
quominus, & inuisere magistrum cuperet, & profanas
codem constantiæ tenore nuptias auersaretur. Furtiuos
à custodibus blandiebatur aditus, atq; clam introducta
diferentem quotidie Paulum audiebat. Ea res iuuenem
ipsum, cui desponsa fuerat, impensis adhuc efferauit.
Plenus doloris & irarum, simul desiderio stimulante
animum, agit cum magistratibus, ut infidam atq; con-
tumacem plectere puellam velint. Id ad exemplum
quoque pertinere, & maiestate ipsorum deinceps om-
nibus fore ludibrio, si furiosa & amens adolescentula,
quæ datam fidem, quæ vota parentum, quæ publicas ta-
bulas eluterit insuper effringere custodias velit, ut infa-

B 2 næ

næ doctrinæ nimium auidas aures afferat ad eum ipsum, à quo fuerit deprauata. Nam ne ignorantem, emercari quotidie ipsam venales satellitum animos, & quem hominem, sacrosancta magistratuū authoritas, vinculis & carcere dignum existimarit, hunc adhuc ipsi Teclæ magistrum, & religionis authorem haberi. His alijsque porrò dictis instincti magistratus, Teclam obijciendam esse feris bestijs censem, ut quoniam illius insanabile sit ingenium, at ipsa doceat exemplo suo, sanctam esse fidem, & sancta Deorum numina, quæ violare sit ausa. Valentissimæ bestiæ indomitæ feritatis, oblectamenta & spectacula ciuium, septis cludebantur. His obijcitur virgo, vniuersa pæne ad spectaculum effusa ciuitate, quæ feralem, sicuti vulgo aiebant, constantiam, obstinatamque fidem, cum dolore mirabatur, & iam spectaculum atrox ex adolescentulæ laceratione præcepérant oculis animisq;. Sed contra cecidit, atque omnes opinabantur. Dilapsæ bestiæ, quæ cuique proximum erat, quærebant latibula, circumspectabant fugam, hærebant attonitæ. Leo etiam aduolutus adolescentulæ genibus, lambendo tunicam, & blandiendo quam lenissime, agnoscere se ac venerari cælestè illud virginale decus testabatur. Tecla inde subducitur, & accensa carnificum rabie, tentatur flammis, quæ nihilo magis læsere corpus inuiolabile, quam violatum à bestijs foret. Varia mox cruciatuum ingenia & artes intentantur, quas omnis protecta diuinitus virgo dicitur euasisse; adeò quidem, ut instantे aliquando minaciter tortore, vasta in vicino dispergirerit petra, factoq; clementer hiatu, sacro corpori receptaculum obtulerit. Tenet fa-

ma

ma litterisq; traditum est , inter ea tormenta , tectum
hominis figura Christū adstitisse virginī, eoq; viso con-
firmatam ipsam, petitionibus improbis potuisse resiste-
re. Certè superior fuit, & Seleuciæ postmodum obijt
miti fine sicuti fama constans tradit. Diu ea fuit in ore
famæ , multorumq; celebrata sermonib; & litteris, ve-
luti nobilitas, & auxilie sua gloria sexum est visa. Stru-
xere quin etiam ipsius nomini templo Cæsares, reges ,
eamq; tutelarem ac patronam suam accepta postmodū
religione ac Euangeliō , augustissima in sede sacrauerē
maiores nostri . Sed ea initia , & eos celeberrimæ vir-
ginis honores, in loco reddemus . Nunc ipsi Barnabas
& Paulus repetendi sunt , vt eorum absolute peregrina-
tione , mox ad ipsa Mediolanensis Ecclesiæ primordia
gradus fiat . Postquam , nuptiale pactum , vti demon-
stratum est , in Christi gratiam adsperrnata Tecla , con-
stantiæ suæ miraculo , ciuitatem obstupefecerat vniuer-
sam , inuidiaq; totius facti penes ipsos authores erat ;
haud ultra Barnabæ & Paulo subsistere Iconij licitum
fuit . Pulsū inde venere in Listrios , qua in gente multos
cælesti iam sacramento deuinatos habebant . Ibi , cùm
hominem natali vitio mancum pedibus , firmo ac expe-
dito constituisserent gradu eaq; res in ora statim & famā
abisset , tanta summos infimosq; cepit admiratio , vt à
quibus id patratum esset , ijs numinum honorem esse
tribuendum censerent . Et sine mora viictimas expedi-
uerū , quas immolarent numinibus eiusmodi . Quippe
Græca plaudentes vanitate Iouem & Mercuriū appella-
bant . Tunc enim verò Barnabas & Paulus rati contume-
liam indignissimam , si cultum debitum vni Deo , ipsi
quo -

quodammodo deflorarent, non secus atq; si forent violati ac temerati; ita lamentis, & flebili quiritatione reprimere plausus & acclamationes illas importunas insistunt. Diripuere sibi vestes ab corpore, documentum acerbissimi doloris, cumq; tandem ea consternatione silentium fecissent, homines esse, & hominum officia fungi, satisq; habere, si numinis ipsius vitarent iras, & offensionem, persuasere. Ita tumultus ille est sedatus.
Vulginauro Mox, vti popularia studia facili momento concitantur, quiescunt, immutantur, & immodicum plerunq; fauorem infensissima odia subsequuntur, ignoratq; vulgus modum, siue hac, siue illa perturbatione cœptum fuerit agitari, quos in numinum colere voluerant loco, hos lapidibus impetentes expulere, recepitq; pulsos Antiochia, cùm in eam urbem exacto per conciones itinerare peruenissent. Illuc codem fere tempore venerant ex Hebræorum gente nonnulli, qui nomine quidem & instituto vitæ sese Christianos profitebantur, cæterum, dogma væsanum imbibabant animis, quo dogmate ceterorum quoq; inficere ac depravare mentes conabâtur, nulla sceleris dulcedine; sed tantum vti socios erroris haberent, & quia salutare esse commentum credebant. Id autem erat huiusmodi; qui relicta gentium prauitate ac Idolorum cultu, Baptismum expeterent, hisce more maiorum velanda corporis oportere circumcidendi, partemq; cruoris Numini fundendam esse. Hæc esse salutis exordia; qui non sic initiarentur, spe vana, & irritis conatibus attineri. Hæc ad populum è superiore loco, hæc nacti credulas priuatim aures elato supercilie, magnaq; verborum pompa disserebant. Varios, vt ferme noua

noua omnia , motus animorum noua fecit doctrina .
fremere alij , quod iam exoletos damnatosque legis He-
braicæ ritus importuni concionatores reuocarent ; qui-
dam applaudere non secus atque diuinorum oraculorū
authoribus , atque reuiuiscenti per ipsos legi . Sic diui-
sa , in hanc , illamve partem ciuitas , magna in perturba-
tione versabatur , & paulatim ituræ in perniciem fa-
ctiones inualeſcebat . Cùm is Antiochiæ status rerum
effet , neque dissidio finis inueniretur , eò decursum est ,
vt Paulus & Barnabas legati super ea re Hierosolymam
ad Apostolos proficiscerentur . Quod inde responsum
retulissent , is controuersiæ finis haberetur , neque cui-
quam vltra in eo negotio turbare fas effet . Profecti illi
legationem exposuere , ac forte quadā diuinitus oppor-
tunè congruit , vt Hierosolymam eo ipso temporis arti-
culo frequenteis Apostoli varijs è terris conuenirent .
Ac ipsi quidem re comperta , nihil dubitauere , quin
legis Hebraicæ reliquias abominarentur , standumque
recentibus Euangeli⁹ decretis censerent ; non item ex ea
secta recens conuersi quidam aiebant . Iactabant Mo-
sen , & legem , & auctorem Deum , quæve alia fo-
rent inducendo in consuetudinem , atque in mores ri-
tui . Hos facile confutauere Barnabas & Paulus , nec
mora Petro sacerorum principi , quominus in eorum
verba sententiam ferret . Quippe onus esse graue ,
atrox , & mortalitati formidandum . Ita sublata
circuncisio , inutilisque iam carnificinæ ritus à Chri-
ſianorum institutis Ecclesiæque consuetudine reie-
ctus in Hebræorum lustra & cellas . Cum eo respon-
ſo reuersi Barnabas , & Paulus Antiochiam , su-
spensos

spensos anticipi religione Christianorum animos in tranquillam stabilemque pacem excitare. Mox inter se communicato consilio, dispersos fidelium coetus, & instituta passim Ecclesiae primordia coniunctim parabant obire, cum parua dictu res diremit eam societatem, ita tamen, ut in ipsa dissensione concordes vnanimesque digredierentur. Ioannes cognomento Marcus, de quo antea est memoratum, forte vnam cum ipsis erat Antiochiae, Barnabae consanguineus, nec Evangelico inutilis muneri. Hunc secum in expeditionem educere Barnabas concipiuit, quod melius atque facilius eo comite & adiutore Christiana res administraretur. Paulus contra, negare dignum Apostolico consortio, qui nuper in Pamphilia deseruisset locum & munus, & ab ipsorum comitatu paene similis fugienti digressus esset. Perstitit tamen Barnabas, ut destinarat, assumere Ioannem, atque ita, diuersi, Cyprum ille, Paullus in alia loca tetendere. Duplex inde fama est. Alij recte Mediolanum venisse Barnabam, plures in Liguria diu commoratum tradunt. Ego neutrum eorum pro certo affirmauerim. Sed quia video fuisse quosdam, qui crederent, Barnabam septen-nio fere ante Romanam excurrisse priuato consilio, dominamque terrarum urbem ad Christum inuitasse, cum nondum in eam rem Apostolico ritu destinatus esset; ideo operae pretium est, hanc ex historia varietatem tollere. Non enim fuit Apostolici moris, ante iustas legitimasque missiones usurpare cælestis munus, vulgata præsertim querela diuinæ maiestatis aduersus eos, qui non mittebantur, & currebant. Et fuerant per ea tempora omnes in urbem Romanam clausi aditus Euagelio, edictisque fune-

funestissimis nouæ inde religiones arcebantur; vt Barnabas, etiam si maxime cuperet, minime tamen posset ad Romanam illam expeditionem adspirare. Cæterum, Barnabas venit Mediolanum, cum Antiochiæ, res diuinæ Petrus; Romæ, Claudius Cæsar humanas disparibus animis administrarent. Id accidit anno quinquagesimo primo post Christum natum, quem tamen alij numerum variant, pro sua quisq; supputatione & sensu detrahentes aut addentes, cum utique tutius fuerit in re tam vetusta sequi publicam fidem, quam priuatam interponere ac miscere. Comites peregrinationis, & ijdem alumni disciplinæ, Anatholon Græcus, & Caius Romani generis fuerunt. Authorem habeo, cum ad Portam urbis appropinquassent homines Apostolici, subito gradum eos retulisse, quia scilicet admonerentur, intrantibus adorandum esse turpe simulacrum, quod geometrico more valuis imminebat. Certè monstratur in huc diem visiturq; Ticinensi porta sive regione locus, quem, sacrilegam indignitatem aspernati diuini Pastores inferint, donec arcana Numinis prouidentia honestos in urbem aditus aperiret. Eum locum donasse Barnabæ Paulinum memorant, quem ille Christianis iam antea sacris initiasset. Ibi largas aquarum venas emicuisse diuinitus, queis multi mortales abluti. Vastæ tunc extra urbem solitudines erant, nec dum venerat ea frequenta, quæ nullam hoc tempore squalere glebam patitur. Postea continuante domos multitudine, sese viis in deserta & inculta porrexit, sedemq; salutis nostræ primordijs inclitam recepit mœnibus, & Eustorgiani templi locia maiestate nobilitauit. Hanc ego primæuam Bar-

C nabæ

nabæ sedem retuli, secutus in eo vetustissimos annales,
 & eam, quæ de mirifico illic fonte percrebuit, famam,
 inscriptiones quoque & monumenta, quæ post referes-
 mus, & super omnia, coniecutram veteris instituti, quo-
 noui semper Pontifices inde procedunt ad capessenda
 sacri honoris primordia; nimisrum hac cæremonia pe-
 tentes ab Apostolo, vti se vestigia eadem ingressos me-
 moria consiliorum iuuet. Cæterum non dissimulaue-
 rim, in diuersa vrbis parte, quæ D. Dionysio magnifica
 & ampla hodie stat ædes, media regione templi, conser-
 tum pavimento lapidem adseruari cum inscriptione,
 quæ Barnabam ibi primum defixisse ac statuisse victori-
 cia mortis & Sathanæ signa crucem ipsam testatur. Por-
 rò quāndiu subsistens extra vrbem hæc deuota Christo
 virorum manus, maturum expeditioni tempus exspe-
 etarit, difficile omnino est affirmare. Nam rarae ad-
 modum per ea tempora fuerunt litteræ, & qui postea
 scriptores extiterunt, pars ciuilibus negotijs animum.
 & studium intendere, sacra & diuina minus accuratè
 sunt persecuti; pars intenti summae rerum, notare ac di-
 stinguere singula, pensi parum habuerunt. Ac nisi ple-
 raque veluti tradita per manus, & propagata sermone
 venissent in saecula, maior etiam obscuritas Ecclesiasti-
 cos annales obtineret, grauissimarumq; rerum penitus
 esset amissa memoria. Sed quantum coniectura & exi-
 stimatione licet assequi, haud sanè ego diurnam eam
 fuisse moram crediderim. Siquidem expiata cælesti
 lauacro, nobilitatis parte primis diebus, reliquum haud
 dubiè commoueri vulgus oportuit, & oriente luce Chri-
 stianæ veritatis, Dæmonum tenebras euanscere, atque
 ita

ita diuinos homines breui tempore in urbem inuitatu
bonorum accersiri. Sequor etiam aliam coniecturam,
vt existimem, non diu Barnabam, apud illum fontem
sedisse latitatem & inglorium. Nam cum ibi rem di-
uinam magno ciuium concursu iam aliquoties fecisset,
minime abhorret a vero, populum illum, qui noua
sacra frequentaret, ipsius quoque sacri Antistitem, stu-
dijs alacribus admisisse. Res diuina alias alio ritu fa-
cta fuit. Tunc ita fieri solitam accepimus, prout in ri-
tualibus ipsius Barnabæ libris descriptus ordo in hunc
diem extat. Quod vero scripsere quidam, eam tunc
perlitandi consuerudinem fuisse, vt sacerdos, postquam
ad aram accessisset, precationem illam quotidianam,
quam Christus ipse suis olim edidit, pronunciaret elata
ter voce; dein arcana consecrationis verba super pa-
nem Angelorum effatus, salutarem hostiam populo
venerabundus attolleret; rituum & cæremoniarum
aliarum fuisse nihil in eam diem; id vero nimium
quantam ad vanitatem & socordiam accedat. Ingres-
sum Barnabam certamina conatusque sacrificulorum
excepere, & Julianus quidam nefariæ superstitionis
antistes ante alios pugnam ciebat. Vtrumque seque-
bantur sui, & diuisa, fauore, vel odio ciuitas, in hunc
aut illum, varijs modis agitabatur. Sed melior pars
haud dubie superior erat; oppugnabatur tamen, nec
dum poterant Crucis trophyæ tota passim urbe collo-
cari. Nam Christiana religio, sicuti primo creden-
tium impetu laetis animis accipiebatur, ita, postquam
accepta veterem vitæ formam euertebat, tunc diuisi a
parentibus liberi, vxores a viris vincula humanæ socie-

C 2 tatis

tatis abrumpebant, eaq; res veluti desixam stupore ciuitatem tenebat. Ac eo quidem tempore titubauere multi, quos Barnabas ad pristina deliramenta relabentes, precibus atque miraculis reuocare necesse habuit. Neque sanè id in tanta circumstantium difficultatū turba & mole videri mirum poterat. Regebamur ab Imperatore Romano per præfectum. Is, & domini vitijs oneratus, & suis, Dæmonis telum erat acerrimum, vt exemplo principis attoniti populares ægre stare loco, firmumq; gradum obtainere possent. Iuppiter & Hercules, ceteraq; nominum colluuiio pro dijs habebantur; neque cessabat ficta diuinitas peccandi licentia & dulcedine. Ad hæc externa irruptio mores effrauerat, eosdem, Romani, dum mollire volunt, per theatra & balneas effeminatarant. Ita delicatam barbariem, vel certe barbaras delicias variè mouebat ex dissoluta libertate recens disciplina. Princeps, leges, aræ, mos patrius, oracula & sortes, commoda & ornamenta vitæ, vita quoque ipsa, & alia, quorum caritati, natura, vel usu mortales assuescunt, abiicienda Christianis erant. Ita, difficultates & angustiæ, quæ magnarum rerum authores interpellare solent, etiam Barnabam exercuere primò, dein, postquam ille superior erat, & ipsum, & victoriam auxere. Atque, cùm uitæ superstitionis amor principio varijs modis ad noua sacra tumultuatus esset; demum agnita Numinis vi, conquieueret. Per hunc modum, anno quinquagesimo altero salutis humanæ, Petri octavo, mutatur Mediolani status & forma religionis, obnoxiasque superstitionum principatu terras facile Metropolis exemplo & auctoritate secū

tra-

trahit. Locus monet explicare, qui populi, quæ gentes, profanas cæremonias & sacrilegos ritus ex hac vrbe peterent, antequam lux Euangelica communes tenebras illustraret. Vrbis quoque formam, & cultum, & alia, quæ cognoscere, in rem hanc nostram Ecclesiasticam fuerit, exsequemur. Romani, sicuti dictum est, omnium humanarum diuinorumque rerum imperium agitabant. Post eos, prima authoritas vrbis nostræ, in qua, delubra, & focos, cæteraque Gentilitatis insanæ, flamen maximus obtinebat. Is flamnum cæterorum arbiter & moderator erat: Insubriæ & Liguriæ, Veneto & Etrusco responsa diuini iuris dabat. Rhætiam utrunque superiorem & inferiorem alijs scriptores addunt, & sunt, qui latius etiam impenitasse contendant. Vrbem vero ipsam ita excoluerant Romani, satis ut appareret, veluti alteram hanc imperij sedem domiciliumque religionis, vel occultam Numinis prouidentia, vel ipsorum consensu destinatum esse. Namque omnia ferè loca, quæ Romanæ veteris opulentia virtutis incitamento, vel in ciuium oblectamenta condiderat, eorum hic imago, & simulacrum fuit. Gladiatoribus Arena, Compitale spatium, Thermæ, Circus, Theatrum, Arberetum, siue viridarium, Amphitheatrum quoque & Septum, & Communia prata, & Capitolium, aliaque Romanæ maiestatis imitamenta stetere, queis postea ferme religio templorum incessit; nosque procedente deinceps in æuum historia, ut quodque tempus inciderit, mutatas eorum locorum facies ostendemus. Fuit vero longè maximum opus ille fornicatae substructionis pons, qui ab nudi

Nudi pontis initio (corrupta hodie, ut assolet voce Bottonutum appellat) extra portam Romanam in duo milia passuum excurrebat. Inde turris erigebatur, multiplici tabulato supergressa communem modum, quippe quæ Ticinum & Abduam, & interiecta omnia late prospectaret. Tanta rerum dominis cura decoranda erit, quam esse Romanæ maiestatis æmulam parentur. Ipsi quin etiam aliquando gratissimam hanc sibi sedem atq; domicilium Cæsares elegere, manentque dicenda suis locis, olim palatia & arces, nunc templa & sedes Diuum. Non tamen vrbis ipsius erat ea laxitas & amplitudo, quemadmodum ferè in miraculum evecta singulis regionibus æquare singulas aliorum vribes videtur, & ex tanto ciuitatum ambitu vix æquari sibi vnam, aut alteram sinit. Regio siue Porta Vercellensis aperiebat vrbem, quæ stant hodie claustra sacrarum virginum Monasterij Maioris appellatione ac titulo. Ibi in vicino sacra Ioui turris erat, in cuius vestigijs Galeatus Vicecomes cognominem arcem extruxit. Cumana siue Nouocomensis iuxta Iani fanum inibatur, quem postea limité occupauit ipsa Sancti Ioannis ædes. Ea quatuor facierum hodieque cognomentum præfert, quod monumento sit, totidem vulticulis in totidem cæli plagas obuersum Iani simulacrum ibi olim insana gentium religione positum fuisse. Orientalis porta dicata erat Soli, quæ nunc D. Babilæ templum visitur; & ut breuiter singulas ad eundem modum hisce sacris indicijs monstremus; ad D. Donnini Noua, ad D. Stephani Tonsa, ad D. Clementis Romana

na

na terminabant urbem, quæ postea transcendit antiquos fines opulentiae recentis auctu. Ticinensis Porta rāntò magis introrsum recedebat, quanto longius ex porrigo fere, cæterarum urbis Regionum incrementa superuasit. Antiquus ei limes ad Diuæ Martæ, nomen ex vicino Corriuio; postea, cum veteribus dirutis, noui muri reficerentur, Ambrosianam appellauere. Hisce finibus ante Barnabæ aduentum urbs Mediolanum incolebatur, hæc facies erat urbis, vniuersæ quam iam nunc oculis subijcere fuit operæ pretium, nè scilicet ex rerum ipsarum postea deflectere cursu ac tenore necesse haberemus. Igitur Mediolanii, fundata religione, sicuti dicere ortus eram, in subiectas quoque prouincias recta Christi manare disciplina & fides cœpit. Sic Deo visum, ut eadem urbs parens & magistra veritatis esset, quæ dux & princeps ad errorem fuerat. Barnabas, Christiana re domi forisque benè gesta, & Sathanam ferme per vniuersam prouincia longitudinem debellato, iam hinc ad alia veluti pacati & quieti Pontificatus opera conuertit animum: & latè pollebat auctoritate ac imperio; tum quia in Apostolorum Collegio creatus fuerat Episcopus, tum quia Legatum eum suum ipse Petrus appellasset. Primum omnium secutus urbis opportunitatem & magnitudinem, sanxisse dicitur edictis & litteris, ut Mediolanensis Ecclesia Metropolis esset earum ciuitatum quibus præst in hunc diem, nisi si quas posterior cura Pontificum addidit, aut ademit. Ea edicta & litteræ, si qua præcipua conditione, & sorte communem æui tabem & iniuriam effugissent; non ego coniectu-

ris

ris & argumentis attinerer potius, quam ipsa certissimæ fidei monumenta proferrem. Ponimus autem inter argumenta & coniecturas, eorum utique testimonia, & fidem, qui cum haud parum autoritatis sua ipsi vetustate sint assecuti, vetustissimas insuper se retro vidisse litteras affirmant, quarum auditio & fama tantum manet, lucem & autoritatem ipsam frustra nostra actas requirit. Ex eo numero Galuaneus Flamma, cui tanto minor causa fingendi debuit esse, quanto minus decerent mendacia & commenta religiosum vitæ genus, cui se mortalibus rebus valere iussis, addixisset; is igitur tanquam ex ipsius Barnabæ commentarijs & monumentis hæc profert. Quandoquidem vrbs Mediolanum post Romani magnitudinem Imperij facile cæteras omneis vrbes antestaret opulentia, & maiestate & situ; ideo, consignata patentibus litteris autoritate concessum ab Apostolo Barnaba tantæ dignationis virbi, ut qui voluerint sœculis eam Antistites obtinerent, his in Liguriam in Æmiliam, in utraque Rhetiam, in Venetos, in Alpes Cotias pontificale imperium esset. Exsequendo inde cætera quasi repetit ex ijsdem commentarijs in Mediolanensis Archiepiscopi ditionem & potestatem, quicquid Episcoporum tota ferme Italia, & late per Germaniæ fines, rem Ecclesiasticam regit; vindicat autem præcipue Rauennensem, Aquileiensem, & Coloniensem, magna Pontificum nomina, & in tantu euæta dignitatis ac imperij, ut crediderim eos huic nunc irasci posse famæ. Sed nobis ex vano nihil hauritur; nec eo sumus ingenio, ut dum miscendo falsa veris, primordia nostratum rerum

rerum augustiora faciamus, velimus mereri probra &
cauillos, & in omne deinceps æuum ire cum illa mo-
rum existimatione ac fama, tanquam patrio nomini
speciosa dictu gratificari & venditare fuerit cura. Apo-
stolus constituta Metropoli, disciplinæ suæ alumnos,
Anatholonem & Caium viros impigros initiauit sacris,
& arte regendarum animarum imbutos, varias in regio-
nes ad prædicanda Euangelij præcepta dimisit. Ac-
cessit ad eos postea Narnus, Magistro nihil absimilis,
& Apostolico spiritu magnam ipse quoque gloriam
assecutus. Neque ambigitur, quin alios præterea com-
plures pro vrbis & prouinciae magnitudine, gerendarū
rerum adiutores, & pastores animarum instituerit,
quorum vetustate periit memoria. Ac de ipsis quidem
Anatholone & Caio, quia post alterum alter hæc Me-
diolanensis Ecclesiæ primordia, Barnabæ successores
obtinuere, mox proprius erit dicendi locus: Narnus
haud fortasse alias occurret, neque par erat omitti Bar-
nabæ continuum, & permixtum salutis nostræ consi-
lijs, & adiutorem haud dubiè magnarum actionum,
quæ ex hac vrbe in alias vrbes late didita salus & vita.
Patria illi Bergomum, opes modicæ, par generis claritu-
do, natale solum in obscuri nominis pago, quem in ri-
pa Serij fluminis olim situm vetustas absumpfit. Is,
concionantem Bergomi fortè Barnabam ut audiuit,
exarsit statim Christianæ religionis cupidine, relictæ
qué patriæ fortunæ cultu sectatus Apostolum vnâ cum
eo Mediolanum est profectus. Vocationis eiusmodi
annus apud scriptores est in ambiguo; cæterum haud
dubitant, quin acciderit ferme sub ipsius Barnabæ di-

D scessum

scessum & finem. Quippe Barnabam, cùm satis iam interlucatis huius prouinciae filuis, magnaque facta per hos agros, Euangelij semente, patrij quoque soli iam ageret curam, voluisse priusquam discedetet, Apostolico more peragrare prouinciam & obire quæcumque posset loca; ita contigisse, ut Bergomum, deinde Brixiam ex ea peregrinatione deueniret, assumeretque Narnum. Etiam illud pro certo Chronographi Bergomenses affirmant; cùm ab Apostolo Barnaba, postmodum patriæ daretur Episcopus, ipsum recusasse diu, more scilicet inclito cœlestium animorum, qui multum quæsita cæteris mortalibus, & concupita reformidant. id verò se aiunt referre, non quia cadere in quemlibet modestum hominem videatur; sed quia constanti veterum traditione hanc de ipso Narno factam acceperint nominatim. Vt cunque ea res habeat, certè præfuit Narnus Ecclesiæ Bergomensi, seruatque ciuitas illa non obscura monumenta pontificatus eiusmodi. Nos ad ea quæ res magis attingunt nostras, reuertemur. Inter alia Romanæ imaginis opera, quæ Mediolani fuisse demonstrauimus, Capitolium erat, media ferè vrbis regione, vastum opus, & dignum Metropoli. Hanc Iouis sedem, nemine repugnante, solennibus cæremonijs expiassæ Barnabas dicitur, expiatamque dicasse magno primùm Saluatoris nomini, deinde Teclam eodem introduxisse, cuius ipse Virginis admiratione ac pietate Mediolanensium animos impleuisset. Galuaneus idem ille, de quo paullo ante memorauí, nominat Chronographos, quibus credit, principio fuisse turrim eam, & trepidæ plebi mu-

ni-

nimentum, quotiescumque barbarus ingrueret; hanc primam omnium ædem Mediolani sacratam fuisse. Sed siue turris illa, siue Capitolium fuerit, siue etiam priuati soli quæpiam area; certè in eo congruunt omnes, ut ex illis ferme vestigijs illaque sede tradant surrexisse molem augustissimam Templi, quod consensus hodie gentium Italiæ miraculum appellat. Scilicet variante suas vices æuo, & alta quamuis tecta vastasque moles in æquum redigente, ac rursus excitante magnarum rerum parua simulacra & imitamenta, stetisse nouissime humilem, & angustam Protomartiris èdem, quā nostra vidit ætas. Id fuisse principio laxū & nobile templum, quale scilicet incalescentibus ad religionem animis in opulenta ciuitate potuerit excitari; postea cessisse illud tempori ac vetustati, sicuti cuncta rerum humanarum habentur. Inde rursus, qua proxima for- tè vacaret area, repositam ædem eam cuius reliquiæ ad nostrum æuum durauere. Sed non ut è primæua multum amplitudine ac dignitate deciderat hæc Teclæ Virginis ædes; ita parum honoris eidem, parumque soliti cultus fuit. Semper in Basilicæ modum celebra- ta populo Mediolanensi, alternaque sicuti suo loco de- monstrabimus Episcopi sedes, cum cætero nitebat ornatu ac splendore, tum verò Canonicorum ordinem habebat, qui statis horis in Odæo choros alternarent. Hos postea Canonicos cum vniuersa fortunæ suæ mo- le, simul ipsius Diuæ nomen & religionem, & sacra cultumque Diuus Carolus Borromæus transtulit in Tē- pli maximi corpus & sinum, cum ipsa quoque com- planatae ac dirutæ cellæ cæmenta & parietinas, mira-

D 2 culis

culis pretiosæ molis immisceret. Ibi fuerat hæc cella, vnde nunc ab extremo foro, linteriorum fulcræ & tabernæ, ad primos usque templi maximi gradus discriminantur; extantque publicis consignata litteris pacta conuenta & leges, in quas, id Collegium, eamque Basilicam Basilica Metropolitana recepit atque miscuit sibi. Nos actionis vniuersæ consilia, & ordinem, & cæremoniam exsequemur, si contigerit, vt in D. Caroli tempora producere vitam & curam hanc possimus. Hæc sunt fere, quæ de Barnabæ pontificatu, multa litterarum monumenta peruolutando, inquirendoque multum in communem famam, & reliquias omneis antiquitatis inuestigando, extricare mihi licitum fuit. Sed piget pudetque varietatis, qua tristibus & refractoriolis ingenij homines, velut infensi memorie magnarum rerum, & omnia vocare in controuersiam assueti, nusquam in terra Italia pedem fixisse Barnabam, quasi musitantes ferunt. Ea res monet, vti repetam testima[n]tia & argumenta, quibus attinemur. Ita controuersiae simulacrum inseram operi quieto contra quām initio mihi destinatum fuit. hoc tamen modicè, vel etiam intra modum fiet. Iam primū igitur vrbs Brixia celebrat antiquissimæ religionis ædem, qua in æde Barnabas rem diuinam fecit, cùm in eam vibem, vti dictum est, excurrisset; Estque in summis alpibus inclitus Diui Barnabæ collis, quem ante Barnabæ in Italiam aduentum, Lucumonem dixerunt. Mediolani perpetua scaturigine fons micat, ex quo salutiferi quotidie latices petuntur, Auctore fontis Barnaba rite ac fidenter inuocato. Huius fon-

fontis originem & miracula Protasius Antistes adscripto nobilitauit carmine, in quo, tantò plus autoritatis & momenti esse debet ad fidem, quantò sanctior antiquiorque Vates posuit. Mirocles item Episcopus, haud dubie proximus horum temporum memoriarum, carmine, quo laudauit Anatholonem, de Barnabæ Pontificatu deque pastorali in Mediolanenses cura, loquitur, non secus atque nos hodie de illis ipsis loqueremur, qui paullò ante hanc ætatem, subducti meritis atque virtutibus in cælum, absentes adsunt, viuuntque in animis hominum, in memoria rerum, in temporum æternitate, monstrati semper & noti. Carmen ipsum extat inter Iani Gruteri monumenta, si quis fortè auebit cognoscere. Extra vibem in Monasterio, cui ab circumiecto quondam nemore, nomen manet, sunt Ambrosiani sodales appellatione vulgata, ceterum inter ipsos Apostolici dicti, quod nimirum eum ordinem, idque Collegium Apostolus instituerit, tempore, quo reuertens in patriam, nominis & officij sui relinquere hæredes vellet. ad stipulantur huic famæ magna Patrum nomina, Dorotheus, Iustinus, & quotquot ferme res Insubrum attigere. Galuanus demum ille, de cuius nomine & authoritate paullò antea sum præfatus, ex litteris ac monumentis, quas litteras & monumenta se ait vidisse, Barnabam ipsum de sua peregrinatione ita ferè loquentem facit. Per variæ incomoda variosque labores appulimus Mediolanum. Ea in viba multi sese præbuere faciles Euan gelio; quidam, & Euangeliū, & nos ipsos durius accipere. Nimirum igitur, aut, clinguem ac mutam antiqui;

tiquitatis & Historiæ fidem eludamus oportebit vniuersam , aut huic etiam inueteratae Mediolanensis Ecclesiæ religioni erit assentiendum . Si talibus occupari curis deceret scriptorem rerum , in promptu erant item authoritates & testimonia , quæ scilicet opponeremus illis alijs , qui non tam venisse in Italiam Apostolum negant , quam Pontificiam ei abrogare dignitatem conantur . Sed præstat repeti ordinem rerum . Barnabas anno septimo quām venerat , rediit Cyprum , cūm prius Anatholonem , qui Brixiae curabat , ad custodiam instituti Gregis euocasset . Abeuntem mœsta ciuitas , lacrimis , & flebili comploratione dicitur prosecuta , vi etiam tentata vt inuitum retinerent . An id , quia verisimile erat , pro vero scriptores tradidere ? Et maestauerunt postea Iudei tædio veritatis popularem suum , cūm externæ gentes ei admiratione virtutis pepercissent . Eius martirij seriem & ordinem , sicut ex veterum accepi litteris explicabo . Salamina est vrbs insula in Cypro , caput gentis , & paterna sedes Barnabæ , receptaculumq; profugæ quondam domus , neque culta minus Apostolo , quām si auita tellus fuisset . Huc ille , post iacta fundamenta Mediolanensis Ecclesiæ cūm remeasset , instituto suo gentem eam erroribus eximere patrijs conabatur , & omni tendebat ope , vt Christianam religionem induceret in eorum instituta & mentes . Tunc importuni quidam homines ex Hebræorum quisquilijs commoti progressibus & incremento Christianæ rei , è Syria Salaminam ardentibus in Apostoli necem animis venere . Quasi probabilem nacti materiem sermonis , auctorem nouarum

rum rerum, & vulgato in sacros concionatores crimi-
nie, turbulentum atque seditionis Barnabam insectan-
tur. Sed ea criminatio non procedebat, ob accensa
Cypriorum studia in parentem suum; simul quia spe-
ctati mores illius extra omnem talis culpæ suspicio-
nem erant. Itaque ergo grassari more latronum insi-
dijs, animus fuit. Patrandæ neci tempus atque locum
eligunt, statam in synagoga scholam, quam Hebrai-
cæ vanitati confutandæ quotidie Barnabas obibat. Ibi
clamores irritos, & si quis obuiam ire conaretur, can-
dem in resistentes licentiam, & necandi potestatem
fore. Nota hæc Barnabæ, siue diuinitus præsensisset,
siue indicium, ita ut sit, emanasset. Non tamen, aut
præsidia circumdedit sibi, aut ex fuga latebrisve salu-
tem quæsiuit. Ipsomet die, quem scelerati homines
facinori destinarant, coactis in vnum, quos ea in ter-
ra, cælesti deuinixerat sacramento, confirmandis ani-
mis orationem habuit. Verba in hanc sententiam fue-
re. Non ego arbitror ex animis vestris excidisse me-
moriā consiliorum, quibus, communiter vniuersos,
singulos priuatim in omni meo sermone sum cohor-
tatus, vt sanctissimam Christi fidem vnicē atq; con-
stanter amplectere mini, vtque castæ ac sancte, & con-
uenienter Euangelicæ disciplinæ viueretis. Oportet
enim sistere omnes ad tribunal Christi, & prout quis
que vixerit, vel discedere inde ad æternas & sine fine
pœnas, vel in cœlestem patriam, & nunquam defe-
cta bona felicitatemque cooptari. Labitur & va-
nescit imago vitæ huius; mox aderit arbiter perennis
æui, iudex vniuersæ mortalitatis. Inaduentum huius
Iudicis

Iudicis, vobis est excubandum, quia tremenda hora la-
 tet in obscuro, & quando nihil tale cogitabitis, oppri-
 memini. Hæc vobis dicta sint, ut salutari metu vite-
 tis omne flagitium, & quicquid Christianæ fidei pre-
 ceptis aduersatur. Cæterū, ex diuerso, spem cer-
 tam haurite sempiternæ felicitatis, & cum ea spe quic-
 quid laborum & miseriārum occurret, exantlate for-
 tibus animis. Tām aduersa, quām prospera mundi
 huius rapidissimo cursu transibunt, quæ sequentur,
 nullis circumscripta terminis erunt. Non illa lætitia,
 non illi cruciatus exitum habebunt unquam. Vtrum
 malitis, in vestra est manu ac potestate, & prout, in-
 hanc, illamve partem inclinauerit vita, vestræ uos a-
 ctiones, aut subducent in cælum, aut detrudent illuc,
 vbi misti mortalibus Dæmones ardent camino, & acer-
 bissima tormentorum omnium foeditate conuoluun-
 tur depasti semper, & identidem in noua mala rena-
 scentes. Mihi finis instat, neque iam ultra vobiscum
 ero petitus nimirum ad necem eorum conspiratione,
 quibus instituta, & conatus nostri placere non possunt.
 Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem
 seruaui, nunc mihi reposita est corona iustitiae; non
 solum autem mihi, sed et omnibus, qui propter Chri-
 sti confessionem, certamen sustinuerint. Postquam
 ita Barnabas perorauit, ingens moeror, & complora-
 tio eorum, qui aderant, est consecuta. Eripi sibi pa-
 rentem innocentissimum dolebant, & fuere, qui sacri
 capitis caritate ac desiderio vim pararent. Oppositu
 corporum suorum, & reliqua concitata multitudine
 propulsaturi esse iniuriam videbantur, si Barnabas,
 quas

quas obscure iecerat necis ambages aperuisset. Celati locum atque tempus, & insidiatores ipsos, cùm nullam in partem vtrices intendere manus possent, quicuere. Ab eo colloquio, & vltima denuntiatione Barnabas, instaurat preces, curat mysterijs animum, & cælesti pane reficitur vna cum suis, accingiturque modis omnibus in extremum illud certamen, ne reluctari pars deterior posset; ac ne quo pacto labasceret animus in ipso discriminis articulo, quo franguntur etiam magna virorum robora, & ingenteis animæ. Marcum inde consobrinum suum in secretum abducit, eiique locum edit, quo in loco sint Iudæi relicturi cadauer, hortatur ut sepeliendi curam habeat, iniecto, quæ tum fuerit, cespite. Addi officij priuati suprema mandata, plena salutis & amoris, atque nominatim illud; proficisceretur inde ad Paullum, neque discederet ab eius latere, donec significationes, & indicia, diuinæ voluntatis constarent; ea indicia & eam voluntatem sequeretur, ac sciret, curæ fore Deo res suas, siquidem sese totum ad nutum illius aggregasset. Hæc Barnabas Marco, & alia, quæ in histriam & litteras non peruenere. Mox vesperascente die, cum Iudaicæ superstitionis antistites vna cum sui generis turba in profanum conclave conuenissent, infert simul cō Barnabas gradum, ac instituto de Messia sermone, institit arguere, ac detestari spes irritas exspectationemque præ posteram, & contumacia vota, queis Iudaica prauitas insanit. Aderant coniurati scelus anhelantes, qui simul atque diuinam ab ore vocem fundere Apostolus cœperat, vix manibus temperauere.

E Cohi-

Cohibiti sunt hortatu mutuo; & sustinuerunt impe-
tum, vt rei, quæ agenda erat, opportunitatem darent.
Postquam Barnabas differendi finem fecit, & concio-
ne dimissa, vulgo inde commoti omnes discedebant;
Coniurata cohors Apostolum circumueniunt, eumq;
per tenebras animaduertente nemine rapiunt in ca-
uernam, neque ille quicquam est effatus. Ea in ca-
uerna detentum ad multam noctem, & omni genere
contumeliae vexatum, cùm iam esset vndique silen-
tium & quies, extra urbem ad occidentem solem edu-
cunt, ligant ad palum, incessunt lapidibus, atque se-
mianimem accenso ad id rogo demum injiciunt. Ita
Barnabas extinguitur, nihil violante flamma sacros ar-
tus, quo miraculo capillus inhorruit sacrilegis, & abie-
re. Marcus eodem haud multo post subiit, obser-
uansque notas & signa, quæ sibi ediderat Barnabas,
sacrum inuenit corpus, & quinto ab urbe lapide con-
dedit in deuia cauerna. Eius inde corporis reliquæ
quemadmodum tenente imperium Zenone fuerint
inuentæ, nec sine miraculo translatæ Mediolanum,
in tempore memorabo. Hæc sunt igitur exordia Me-
diolanensis Ecclesiæ, & principium hoc Ambrosiani
Pontificatus, in quo reputando, mihi in primis illud
admirari subit, quod scilicet statim ampla, statim in-
clita Metropolis fuerit, & post Romanam maiestatem
facilè princeps aliarum, habuerit initio speciem eius
dignitatis, quam per tot postea casus est affecuta. Id
accidisse debuit, præter alias causas, etiam Aposto-
lico nomine Parentis & Authoris. Nam in tanta subi-
gendi orbis laxitate, totque prouincijs, oportuit suis-
se

se magnum decus earum Ciuitatum, quæ ex Aposto-
lorum numero Pastores obtigissent. Neque verò aut
Achaia per Andream, aut per Thomam India, aut
aliiæ per alios Apostolos ad Christum adiunctæ pro-
uinciæ, Mediolanensi comparandæ fuerunt æstima-
tione rerum earum, quæ raræ fortis honorem conser-
uare, vel augere possent. Iuuat etiam magni Pontifi-
cis consilia successusque reputare, ut non solùm ea quæ
fortuita sunt, sed etiam causarum & rationum mo-
menta cognoscantur. Principiò, cùm hanc ille pro-
uinciam & expeditionem adamasset, minime statim ar-
cem atque caput ipsum inuadendum putauit. Sed quia
hostilia erant, & infensa circùm omnia, substitit in-
vicinis locis, & quasi præparare sibi animos voluit,
ostendenda scilicet vita, & salute quam adferebat.
Habitum quoque & mores cognoscere Ciuitatis vo-
luit prius, quām mutare ac nouare præsens vniuersam
aggrederetur. Et vbi propius accessit, fecit arte velut
Imperatoria, ut alliciendis paulatim ad Christum ho-
minibus, carperet leuibus prælijs hostem, ad sum-
mam belli totius mox inualidum cum habiturus.
Abscessus enim ad fontem, & commoratio illa sub-
urbana, post simulacri contemptum, de quo demon-
strauiimus, haud aliò magis visa est pertinere. Inde
vrbem ingressus intrepide miscuit certamina, eiisque
latè victori pertinacia & superstítio manum dedere.
Sed fuisse videtur etiam quodammodo fortunatus &
felix, non suprema tantum & diuina illa ratione, sed
humano quoque iudicio successus ipsius æstimanti mihi.
Nam, & habuit in multos annos è sua discipli-

E 2 na

na prouisos atque paratos heredes, qui Mediolanense patrimonium obtinerent, & Ecclesiæ suæ fecit auctoritatem, etiam ex quo rebus humanis est exemptus, siquidem ipsius nomini ac memoriae datum fuit, ut Archiepiscopus Mediolanensis honore & gradu cæteros omnes Episcopos antestaret, Cæsari coronando socius & Collega Romani Pontificis haberetur. Quia porro magnam Barnabæ cum ipso Marco fuisse necessitudinem acceperat memoria, talem hunc diuinorum hominum nexum, utriusque posteritas venerata est hoc instituto, ut Mediolanensis Episcopus Aquileiensem Patriarcham, atque hunc ille vicissim consecraret. Postea, haec & alia venerandæ antiquitatis abolevere, dum variare prisca nouis amat mortalitas non conjectura donec ad finem ipsa quoque perueniat. Barnabæ staturam, & oris linea menta faciemque tradidere nonnulli, ita, ut visu venerabilem, corpore procerum, fronte superciliosoq; mitem piangerent pen na tanquam pennicillo. Ego ne ipsis quidem satis crediderim imaginibus, quas è præsentium vultu pictores effingunt, quippe gnarus aberrare plerunque artem in melius, aut deterius; tanto magis imago potest esse suspecta, quam ex tam dissipata memoria, pie tas in hunc diem propagauit. Inclinat tamen animus, ut multum fuisse dignitatis assentiar in illius ore ac vultu, de cuius cælesti ac mortale fastigium supergressa mente, nullus ambigendi locus est relictus. Nunc absoluто Barnaba, cætera deinceps & cæteros exsequamur. Barnabā Anatholon exceptit in magistri mores & instituta formatus, ardore animi, & studio propaga ndæ

gandæ religionis , illi pæne par , Pontificatus maiestate non minor. Inter Barnabæ discessum , & Anthonis initia , status hic rerum erat Mediolani . Vrbem pro Nerone Præfectus obtinebat , cuius nomen ignoratur , de crudelitate autem & funesto ac diro in Christianos omnis odio satis constat . Is vulgata aulicorum hominum arte , ex aliena inuidia materiam suæ laudis arripiens fremerè palam cœpit , quod prior re præfecto permittente aut dissimulante , certè non prohibente , peregrina sacra in urbem irrepissent ; mox vlcisci patrias religiones & proditum Cæsarem , exilia & cædes , quæve alia sunt armati furoris intentare . Ita scilicet , arcano diuinæ prouidentiæ permissu factū est , ut Christiana religio , postquam primas eluctata difficultates libero cursu procedebat , repentina velut obiecta mole sisteretur , ex qua tamen validior postmodum impetus & vires nouæ . Christiani nominis insectatio & clades prima hæc memoratur , quam ex urbe Roma Nero Mediolanum exten dit . Multi igitur & multæ tunc perhibuere suo sanguine testimonium Euangeliō , quorum veluti principes & antesignani Romæ Petrus & Paullus , Mediolani Nazarius & Celsus fuere . De illis alij scriptores retulerunt ; hos exsequi pertinet ad nostrum institutum , quippe quia martirio suo nobilitauere urbem haud minus profectò quam si Ciues fuissent . Nazarius Romæ natus est honesto loco , Petrus eum abluit lauacro cælesti , parentes , Africanus & Perpetua , ille cultui Deorum inanum addictus , hæc secuta Christi fidem , memorantur . Voluerat pater ado-

le.

lescentem trahere in sua instituta & mores, omnibusque blandimentis, minis etiam tenerum tentarat animum, si quo pacto posset cum ab suscepta religione detorquere. Sed postquam ille toruus & incorruptus abnuebat, vltroq; patris castigare væcordiam aggressus iniecerat curam, ne de ipso ad magistratus fama perueniret moxque funestaret domum; tunc induxit animum Africanus, qualicunque imbutum religione filium habere, quām nullum. Ea sententia cūm sedisset animo paterno, nouis à Nazario contendere precibus institit, vt accepto pondere auri & argenti, quantumcunque posset optare, fugeret procul ab infesta Christianis vrbe, ne mox & domui dehonestamentum, & vrbi spectaculum foret. Simul pater in hunc modum, orbam suam præcipitemque deplorando senectam, obsecrabat; simul preces & monita matris accedebant. Itaque flecti se passus Nazarius, quamvis ea quæ ad metum proponebantur, ipse appeteret omnibus votis, dedit vtique lacrimis & obtestationi senum, vt abiret. Profectus ex vrbe Roma quām occultissimo potuit egressu, quā duxit vagum ac extorrem Deus, vocando & alliciendo mortalium omnē genus ad salutem, peragravit multa loca & vrbes. Neque verba tantū &hortationes erant; sed quæ plus interdum valent, larga in egentes pecuniae subfida, & prompta benignitas, vt hamo quemque suo, quod hodie dici solet, expiscaretur, donec effuse largiendo redactus ad paupertatem Apostolicam, nativa tantū retineret instrumenta concionandi, facundiam oris, & animi calorem. In hunc modum, & verbo,

bo, & exemplo, & præsenti liberalitate, cùm ingen-
tia fecisset operæ pretia, Placentiam ex diuturna pe-
regrinatione peruenit. Ibi quoque Christiana remiris
modis amplificata, cùm anxius ipse secum agitatet,
quos porrò homines, quamve nouam vrbem aggredieretur,
vrbis Mediolani subiit cura. Quippe caput
eam Insubriæ totius esse; multiplices quoque palmæ,
& ex propinquo audita Martirum gloria stimulos ad-
debant iuueni; nec distulit iter, lætisque animis acce-
pere venientem quotquot ea in vrbē Christi fideles a-
gebant. Sed ea lætitia breuis fuit ob saevitiam Præ-
fecti, qui cognito noui concionatoris aduentu, pessi-
me mulctatum ex vrbē præcipitem eiecit. Decesser-
at per eos forte dies ipsius Nazarij mater Perpetua,
clarumque fama sanctitatis Matronæ nomen erat in-
ter Christianos. Hæc filio per quietem adstitit, mo-
nuitque, ne cunctaretur in Galliam ire; quandoqui-
dem tantopere sitiat animarum salutem, lætas ibi sca-
turigines fore, queis hanc releuet sitim. Itaque sine
mora sese coniecit in pedes, & continuato per dies
aliquot itinere finibus Gallorum appropinquauit.
Ingredienti regionem eam, ac de rebus diuinis, vt ad
quosque peruererat, grauiter & iucunde differenti,
plurimi sese baptizandos offerebant maximique fie-
bant ad eum concursus. Cimella est vrb̄ Galliæ, cla-
ra quondam & opulenta, nunc vna de multis, quas
vicissitudo rerum humanarum affixit, ac imminuit.
Ex hac vrbē nobilis matrona, cùm verecundia sexus
impediretur, quominus Apostolico homini sese so-
ciam adderet, quem forte vnicum habebat filium ei-

tra-

tradidit in manus, obsecrauitque precibus infimis, ne tenerum discipulum adspernaretur. Eximia pueri indoles erat, spesq; Nazario statim incessit futurae olim virtutis & sanctimoniae. Ita facilè est inductus, ut cum in disciplinam acciperet. Imbutum Christianæ fidei rudimentis, & monitum quanta Baptismo sanctitas inesset, per sacramentum illud in Christi filios refert, Celsum appellat, atque pro suo deinceps educit. Dinobarus quidam obtinebat ea loca cum imperio, impositus à Nerone, nec absimilis ei libidine & crudelitate, ceterisque vitijs & monstris, per quæ tunc yrbi præfecti fœdissimi principis ingenium æmulabantur. Is Dinobarus, vbi de religione disputantem fortè Nazarium audiuit, exarsit nimirum iracundia, facinusq; clamauit indignum, quod peregrinus homo peregrinas inferre de superis opiniones, & inueteratam illam de fabulosa diuinitate labefactare famam conaretur. Ac primò quidem infectari probris & minis, & denuntiatione pœnarum hominem; mox vbi, neque verborum contumelia, neque periculi præsentis horrore Nazarius de constantiæ suæ gradu mouebatur, ab ipso quidem abstinuit tormenta, quasi martirij palmam denegaret; ceterum in Celsi terga iubet expediri virgas & cædi puerulum in magistri contumeliam acerrime. Id fore Nazario tristius & acerbius arbitrabatur, quam si in ipsum deseuiret. Itaque direptæ confestim vestes ab Celsi humeris, & alternantes verbera, quibus mandatum erat, institere, donec toto corpore manaret crux, ipsaque supplicij fœditas etiam dura pectora barbarorum

rūm emolliret. Is verberandi finis, ac vterque inde
conisciuntur in vincula; Celsus quidem alacti vultu, &
ea constantia, Præfectum vt ipsum in hæc alloquere-
tur verba; Dabis pœnas improbe Iudex illi Deo, cui ..
nos vni descriuimus: Nazarius autem mœrens animo,
quod intentas in suum caput iras innoxio corpore
discipulus exceperat. Fuerat animus Iudici, vel per-
cutere securi vtrumq; vel perimere longa carceris ta-
be, ac squalore, vel alio quopiam genere supplicij
sic accipere, vti documento cæteris essent, ne quis
violare in posterum auderet commentitia Deorum
numina, & religiones insanas. Sed efflagitanti pre-
cibus iratis vxori negare non potuit, quominus po-
stero die solueret eos atque dimitteret, nulla alia vio-
latos iniuria, præter eam quam Celso primi violen-
tia furoris intulisset. Abiere inde in Treuiros, nec
ibi mitiora hominum ingenia pronioresve ad Euau-
gelij veritatem incolarum animos inuenere. Ante-
cesserat fama, venire confirmata ætate iuuenem &
rudem annis, væcordia contumacem adolescentulū,
qui Christo diuinitatem assererent, eoq; furore lym-
phati ipsi, deprauare alios conarentur. Non tormenta
in hosce valere, non carcerem, non quicquid co-
hibendæ mortalium temeritati, sacrosancta, & alijs
omnibus tremenda legum autoritas excogitarit. Itaq;
statim vbi gradum intulere, notati omnium oculis,
digitisque monstrati, obseruati etiam aliquandiu ma-
lignis animis, num famæ responderent, & an essent
omnino tales ipsi, qualis rumor increbuisset: post-
quam verba & vultus, vita denique tota congruebat,

F missio

missō repente viatore iubentur ad tribunalia magistratum sistere. Comprehensos alij, circumfusoq; satellitio vincotos tradunt. Vt cunque ea res habeat; interrogantur ab Urbis Praefecto; quem Christum, quamve illius fidem, ac religionem spargere in vulgus, & cur nam ea doctrina inficere ciuium animos conentur. Enim uero intrepide Nazarius respondet; hanc nimirum esse salutem, & hoc Euangelium, quod ipsi cælesti acceptum beneficio perferre ad alios velint; neque quicquam magis ad Imperij Romani quietem & incolumentatem attinere. Perculerat hoc responso iudicum animos, neque statuere quicquam ausi, constrictos vitrumque vinculis Romam ad Cæsarem esse transmittendos pronunciaueret. Statueret de illorum capite Princeps ipse, quorum væcordia ad euertendum Imperium pertineret. Ita Romam adspicuntur. Neque cunctatus est Nero quominus in eos euomeret acerbatis suæ virus, atque mergi repente aquis iuberet. Ad ostia Tyberina dati præcipites in subiectum æquor, alibus, & maritimo gregi esca relinquuntur, & velut imperio defuncti carnifices abscedunt. Sed vis diuina potentior fuit. Diuinus è cælo delapsus Ales, inspectante hominum turba, sublatum utrumque statuit in sicco, atque ita sauitia Neronis elusa, Genuam, inde Mediolanum retendere. Haud ultra differri ipsis martyrij palmam oportebat. Mediolani iam erat Anolinus æmulacione feritatis gratus Neroni, & quem haud facile quisquam illius ætatis, improbo certamine superaret. Is Nazarium & Celsum simul atque habuit in potesta-

te,

te, veluti lauretas ad principem super ea re litteras, mittit. Præstigiatores impuros, qui tot ad eam diem impunè turbas excitarint, quique pœnas & iudicia sint eluctati modis inenarrabilibus, iam teneri sic, ut effugium inuenire omnino nullum possint. Quandoquidem prouidentia Deorum id acciderit, scriberet ecquid ipsi faciendum videretur hominibus eiusmodi; nam se quidem ab eius prescripto non discesserunt, cuius nutus & verba pro oraculis ducat. Nemo nihil atrocius mandauit, quam ut tollerentur. Ita securi percussi ad præmium in cælum euolauere. Corpora in latebras abiecta, ne quis ad ea populi concursus fieret, aliquandiu fuere in occulto. Mox homini plebeio somnium fuit; iret atque insepulta sanctorum cadavera mandaret humi; simul editæ notæ, quas sequeretur. Vrbis regio, quæ Romana dicitur, in meridiem obuersa est, & egressis porta, vacuus ab humano cultu tunc forte campus ad dexteram erat. Ibi repertas Nazarij & Celsi reliquias, effossa raptim humo, Christiani homines condidere; acceditque dum id fieret, digna res memoratu, quæ postea diu in ore ciuium fuit. Plebeio illi, qui nocturno monitu locum inuenerat, ubi cælestia pignora delitescerent, filia nabilis erat indole singulati, nec inelegantis formæ. Cæterum apopletico stupore defixa mœror erat vniuersæ domus, & vicinitas tota notæ familij cladem miserabatur. Multa nequicquam experti fuerant remedia solliciti parentes, multis etiam, ut in Christiana domo, fusis precibus, implorata super ea virginis calamitate, diuini auxilij.

F 2 vis

vis fuerat, vt, si ita expediret, si rerum omnium arbitro sic videretur, reciperet corpus adolescentula, neue relinqueretur consumenda perenni cruciatum. tabe miserabilior vtique quam quibus ferro eripitur vita, quoſve alij violenti casus humanæ varietatis absumunt. Hæc igitur in hunc modum infelix, & deplorata puella repente conualuit eo ipso temporis momento, quo pater humandis reliquijs cespitem egebat, atque vulgato inter Christianos tantæ rei miraculo, lætitia & robur animis, certissimæque spes ad omnia preferenda, queis tentarentur, incessere. Cæterum ipsæ sanctorum reliquiae eo in loco latuerunt vsque in tempora Pontificis Ambrosij, qui repertas indicante Deo, transtulit honestiorem in se dem, & splendidè ac magnificè collocauit, nosq; rei seriem exponemus, procedente in id tempus historia. Nazario & Celso, Geruasium & Protasium diuersi annales necant, explicantque mutuae caritatis officia, queis alteri alteros adiuuerint, cum ijsdem vinculis attinerentur. Ea fama nimium quantum aberrat à vero, confundatque tempora & ordinem rerum. Constat enim certissima litterarum atq; monumentorum fide, Geruasium & Protasium post aliquot ab hoc ipso tempore annos extitisse; quo in loco memorabuntur virbis nostræ populares, & alumni, neque fraudabuntur honore suo, quos inter præcipua decora nominis Ambrosiani numerare licet. Præfuit Anatholon Ecclesiæ Mediolanensi, tredecim annos, felicior principio, quam fine. Nam cum aliquandiu, licet asperis in rebus, facilem tamen, ac

expe-

expeditam Euangelio viam tentasset, tantæ mox difficultates, tantiq[ue] terrores obstitere, prope ut actum esse de tota re Christiana videretur. Dicitur ex ea consternatione mœstus animo Pontifex, ad Barnabæ fontem, domiciliumque pristinum illud iuisse, quod Ecclesiæ vasitatem, atque tota passim urbe reposita inanum Deorum simulacra sustinere oculis non posset. Brixiam inde tetendisse, quod ibi quoque labare fidem, & Pastoris desiderio languere multos inau- disset. Nam sua sacra, & proprium Episcopum habere primis illis Ecclesiæ temporibus, haud cuilibet ciuitati datum fuit. Ut quæque urbs multitudine hominum, & docilitate præstaret, aut cæteris oppor- tuno ad Apostolicas expeditiones immineret loco, ibi Pontifex domicilium & sedem habebat; minores & obscuriores alias, vel idonei plerunque homines regebant Episcoporum loco, vel Episcopus ipse per oc- casionem obibat. Ea scilicet Anatholoni fuit causa Brixiam excurrendi, qua in urbe postea reliquam egisse dicitur ætatem, neque ad nos reuertisse. Certe Cenomahî hunc primum urbi suæ Pontificem asse- runt, monstrantque sedes & loca, quæ tenuerit ex- tra vibem, siue pulsus iniurijs eorum, qui Christi nomen & disciplinam auersarentur, siue pertæsus ul- trò Christianæ rei casus indignos, & quotidiana pro- bra, quæ minus acerba forent audienti, quam vi- denti. Variant alij, Pontificis huius, & nomen, & annos, pro Anatholone scribentes Anatolium, eiusque Pontificatum retro vocantes in prima Claudi principis tempora; nec desunt, qui Barnabæ penitus ob-
nisi
liti,

liti, seriem Episcoporum vrbis inchoari hinc velint. Galuaneus more suo quosdam citat annales, in quibus extet, D. Georgij Basilikam, quam postea Natalis Episcopus Canonicorum ordini tuendam dedit, iactis ab ipso fundamentis excitatam fuisse. Id ego tralatitium putaui, de primordijs eius Basilicæ notata temporibus, comprobata testimonij, aliquanto post allaturus. Sacri corporis reliquiae in magno sunt ambitu vetustaq; contentione Cenomanos inter & Mediolanenses. Hinc D. Babilæ, inde Floriana ædes, hominis diuini seruare mortalitatem dicuntur. Ego secundum Cenomannos iudicare non dubitauerim, inductus vetustissimi Carminis auctoritate, quod ab Episcopo Miroclete additum Anatholonis ipsius imagini, Andreas Alciatus, magnus Patriæ rerum indagator enotauit, atq; tetulit in litterarum monumenta diffusus marmori contra temporis iniuriam. Id carmen, iuisse Brixiam Anatholönem, & ultimam ibi requiem obtigisse Pontifici, satis declarat. Simul Petri hospes, Barnabæ socius, neque degener ad pericula litteris ijisdem appellatur. Cæterū est in Ambrosiana Bibliotheca scriptus manu codex auctore Michaele Piccolpasso Bononiensi quo in codice, de Anatholonis vita, & institutis ad eandem pæne formam omnia, de reliquijs autem contraria & diversa penitus traduntur. Quippe super cætera pastoralis animi ornamenta & virtutes, tenuissimi cibi hominem fuisse; tempora vigiliatum ac somni, nullis discriminata horis habentem, tantum capere solitum quietis, quantum nimia lassitudine cadentes oculi,

non

non animaduertente ipso, possent usurpare. semper, aut placando precibus Numini, aut informandis ad Euangelicam disciplinam quoscunque nactus foret, institisse. Discedentem postea Mediolano, sua item edicta, suasque litteras promulgasse, constituendæ ac firmandæ Metropoli quam Barnabas ipse fundasset ac instituisset. Postquam apud urbem Brixiam expirasset, nulla cæremonia, nulloque cultu, discipulos abdidisse corpus, quæ latebræ vacarent accusatorum, & carnificum incessu. Inde esse factum, ut eæ reliquiæ premantur obscura nocte, neque monstrari iam possint. Id consensu Galuanus, & Piccolpassus affirmant. Sed ego Mirocletem sequor. Anatholone defuncto mortali hac vita, subibat annus à Christo nato septuagesimus alter: Romana sacra Linus obtinebat: finierat Nero: successerat post breve Othonis imperium Vespasianus; Mediolanenses absq; pastore. Mox Caius fuit. Is, Romanus Ciuitate, cognomento Sergius, & Barnabæ, sicuti demonstratum est, alumnus, fidus Apostolo, per æqua, per iniqua comes fuerat. Nouerat fama, clarum origine, grauem animo, lingua promptum: interioribus quoque litteris & artibus, quæis tunc Romana iuuentus inclaresceret, excellebat. Nec degener ore vultuque, si quidem vera lineamenta exceptit, atq; custodiuuit pictura potius, quam ex cogitauit ac finxit. Ad hæc tot in unum cumulata bona, cum verum vnicumq; bonum accederet, pietas in Deum, & Christianæ virtutis amor; efficerat, ut populo Pontificique iuxta carus esset. Neque Barnabas alium sibi legare libenter,

tius,

tius, vbi quid sedulo ac prudenter agendum foret, neque populares alium vereri magis, magisve ullius auctoritate commoueri ac regi. Cum in hunc modum, viginti fere annorum spatio, sub Barnaba primum, deinde sub Anatholone, Mediolani moratus esset, vulgoque sic omnes augurarentur; altero iam crepto, altero vergente ad finem Pontifice, summam Ecclesiasticæ rei fore penes ipsum; ille cupidine visendi principes Apostolorum, simul tactus desiderio patriæ, Romam est profectus. Ibi, cùm Apostolus uterque ferme sub ipsius aduentum è viuis exempti, terrarum orbem, & humanum genus, augustissima spoliatum luce reliquissent; magnis nobilitata vestigijs obcundo loca, sacroque recenti madentem crux terram, pijs osculis appetendo, desiderium expleuit. Simul, quadam, vti credere licet, futuri munericis præfigitione, residuos, Ecclesiæ proceres, qui Romæ per id tempus erant, consulere de rebus diuinis, firmare fortibus alloquijs animum, prorsus in eam curam excubare, vt ipsorum instituta, & Euangelij prædicandi rationem ac vitæ viam cognosceret. Præcipue autem coluit, obseruauitq; Clementem, qui postea primus hoc nomine rem Catholicam administravit. Facile ad ipsum quoque Linum, de singulari hominis pietate, ac prono in munus Euangelicum animo peruenit fama, tamque mox ipse notitiam adduxit in iura familiaris amicitiae. Sacris munericibus exercuerat virum; inde petenti Anatholoni consiliorum adjutorem, & regendæ Ecclesiæ socium concedit. Ita Mediolanum reuersus, & per omnia pastoralia expe-

ri-

rimenta probatus, postquam Anatholonis obitu, va-
cua nobis Ecclesiæ fuerat relicta, fidelium precibus
& obtestatione, vigiliam eam capessiuit. Non tradit-
tur certum; haud tamen abhorret à vero, quod viti
prudentes, & Ecclesiasticarum rerum ætate nostra
maxime gnati, de Caij huius initijs, & Pontificatu
coniectauere. Quippe Romæ creatum Episcopum,
pari cum Anatholone iure ac potestate Mediolanen-
sem Ecclesiam administrasse, donec extineto Colle-
ga solus eam obtineret. Circa Romanam hanc pere-
grinationem discordant yetuissimi scriptorum, atq;
scinduntur in contrarias opiniones. Alij, & quibus
malim credere, priuatis adhuc rebus iuisse Romanum
Caium; quidam Episcopum fuisse, cùm proficisci-
retur, tradunt. Nullus tamen ambigit de adspiratio-
ne mirifica diuinoq; afflato, quo senserit Apostolo-
rum occasum antequam ad urbem appropinquaret.
Piccolpassus de tota re sic refert. Cùm iam eò per-
uenisset Caius, vnde media ferme Romam esset via,
concidisse similem attonito. Mox animum rediisse,
percunctantibusq; socijs, satisne saluæ res essent, hæc
locutum; Quid mihi, aut vobis, orbive terrarum
vniuerso potest esse salui, peremptis indigna nece,
quorum in capite & vita humanae res nitebantur: Ne-
ronis cecidere saevitia Petrus & Paulus: id modò cùm
dixisset, petrississe tamen ire, sicuti destinarat. Tan-
tam postea cladem, & tanto funere perditas res, Ec-
clesiamque prostratam, & id genus alia, quæ pius do-
lor inueniret, toto deinceps itinere sermoni mate-
riæ fuisse, donec urbem ingredereptur. Ibi quant-

G diu

diu substiterit, incuriose scriptores quærunt, & ta-
men tradi magnopere ad rem pertinebat, vt vacuæ
per id tempus Ecclesiæ notari spatium posset. Ego
non diu crediderim absuisse, siue Mediolanenses ex-
ciuere, siue redijt vltro, siue Linus misit. Huius Epi-
scopi sanctitatem, dignosq[ue] spiritus Ecclesiæ pri-
mæuæ candore, vno exemplo notasse satis fuerit; quòd
scilicet instituit Mediolani vitæ communitatem inter
Christianos; ipseque adeò, cùm ab opulento iam
cætu parte fortunarum oneraretur, omnia contulit
in publicum primus fere apud nos author tollendi
ex Ecclesiæ moribus & consuetudine funestas voces
capitaliaq[ue] nunc verba Meum & Tuum. Ad ean-
dem formam cætera cùm essent, ipseque mirus &
animi, domitor, & corporis, ciuitatem in se con-
uerteret vniuersam, atque adeò politica principum
ingenia, superbum genus ac delicatum, magnæ virtutis
admiratione percellerentur; inde factum est, vt
tantum incrementi caperet Ecclesiastica res hoc Pon-
tifice, quantum exsequemur. Et certiora iam hinc
de primordijs Ecclesiæ, ac de progressibus Euange-
lij tradentur. Vetustissimæ Basilicæ suos honores agnoscunt, cæremonias & ritus, & magnas piorum hominum liberalitates, atq[ue] vitæ prodigos animos peragamus ingenti rerum spectaculo. Coaceruati parentibus filij, secutæ maritos ad necem coniuges, infæctæ cædibus Ecclesiæ, neq[ue] magis vñquam declaratum, pietatem obfirmatam potentiorem esse, quam violenta regum imperia. Philippus Oldanus erat
Mediolani vir splendidus ac opulentus, & claritu-
di-

dinis primæ nisi Romanū fastigiū obumbraret. Illo in capite & illa in domo, spes omnis & gloria Mediolanensium videbatur posita esse; Tum consilij, rum opis causa vulgo illuc ibant. In publica quoque munera, partemq; regiminis adsumebatur, quatenus appetens omnia Romanus, erga eminentes inuidia, & illa venenum omnis æui, maligna cura peregrinam in virtutem, solicitæque regnantium artes paterentur. Is postquam in Cai vitam intendit oculos, obseruauitque contemptorem humanarum rerum, impavidum ad pericula, securum animi, popularesque suos, & nouam illam rempublicam augstiore moderantem atque regentem imperio, quam quod vi sua Romanus exerceret; hæc igitur vbi vir prudens animaduertit, simul vbi multoties immiscuit sese concioni, audiuitque, Deum, trinum, & unum, ac æternā hominum generi vitam, siue quis cælum & præmia, siue quis inferos & supplicia meruerit; tunc enim uero, hærere attonitus, detestari superioris vitæ deliramenta & fraudes, non ambigere, quin vita hæc esset vnica & vera, statimque Baptismum expetiuit. Ad D. Barnabæ fontem vitali tinctus latice reliquit incertum in Christianorum animis, plusne claritudinis & nominis ipse adiecisset fonti, an inde plus gratiæ ac virtutis hausisset. Tanta celebrato mysterio, vel sanctitas homini, vel honos Lymphis. Secuta Philippum est familia primùm ipsius vniuersa, capitum ad quinquaginta; deinde ciuium multitudine, ut quisque cliens, aut amicus, alioue quo vinculo annexus domui exemplum admiraretur. Portius

G &

& Faustus, dignā pārente p̄toles ante alios enītueret, quorum nōmīna magnis Basilicarūm appellationib⁹ īpmista ēternūm mānent, moxque fūsiū dicentur. Nulla interīm quies dābatur ab carnifice Anolino & quoscunq; sacros attigisse latices cōpererat, horum ipse sanguinem libabat extīcto iam Neroni, cuius crudelitati ac monstro cādebant quotidie Sanctorum agmina. Baptismusq; Martyrij præludium erat. Oldanis tamen ira pepercit, c̄redo quia turbarum ali- quid timeret Romanus, si magna illa nece Mediolanensium animos irritasset. Non dispat fortasse causa seruauit Caium, vt in quotidiana popularium strage, perdiū nulla caput ipsum attingeret iniuria ferri. Martirum corpora Philippus ipse, quā nocturno & clandestino per vrbem egressu, quā sp̄tro palam pēriculo matutinus aut meridianus adsp̄ortabat in suos hortos, & gratissimo erga sacros artus munere mandabat humi. hortos eos postea donauit Caio, & acceptos ille consecrauit, vt puri ab humano cultu in eum sepulturæ vsum vacarent. Fuerant in illa vrbis parte, vbi nunc D. Ambrosio, & D. Francisco, & D. Valeriae nota Templa celebrantur, videturque datum Oldano fuisse diuinitus, vt albentem illam olim ossibus, multiplicique scrobe perfoſsam aream monumentum illius pietatis, duæ religionum augustissi- marum ædes occuparent. De Ambrosiana æde, pro priam quandam & congruentem ipsius magnitudini suo loco narrationem texemus: quæ nunc Francisca na dicitur, fuerat primo Saluatoris ædes, inde Naboris & Felicis, postea D. Francisco cessit, enormi per cas

cas variationes incremento. Sed non tanta nunc est
frequentia propter magnifica tecta sumptuosasq; mo-
les, collegia quoque, & ordines amictus varij, quan-
tam Oldani nomen, illisque mutata glebis, corpora
sanctorum merueret. Auctorem habeo, solitos fuisse
vicinarum urbium populos religionis causa illuc ire
cateruatim, urbemque Mediolanum non minori fa-
ma & prædicatione fuisse propter hunc Oldani cam-
pum, quam ob alia ratae nobilitatis ornamenta iacta-
ta Metropoli semper & iactanda. Ipse quin etiam
Ambrosius insecura postmodum ætate summum ur-
bis ornamentum, haud usquam alibi iucundius quam
ea in sede fertur habitasse, solitus insomnes ibi noctes
tradicere, id habere gratissimum animo fesso leuamē
curarum, quippe cum multa illic cœlestium imago,
multoque sanctorum crux refertus cespes obuer-
retur. Hæc postea toto quantum spatio patescit area,
simulq; palatinæ quæ ibi in vicino fuerant ædes, Ca-
nonicorum ordini sunt attributæ. Palatij, molem
primò, deinde reliquias & vestigia voracissima tem-
poris ingluuies absumpsit. Vnica superstes columna
visitur in hunc diem, indicanda nobis quo loco Am-
brosonianæ faciem vniuersam. Ædis litteris hisce consi-
gnare destinamus. Ac Philippi quidem Oldani Ba-
ptismus, hæc decora & incrementa tulit Ecclesiæ
Mediolanensi: Vitalis & Valeria coniuges ab eodem
Pontifice lustrale beneficium adsecuti, minus opum
ac diuitiarum habebant. Ideo non perinde in publi-
cum claruere. Sed Martirij palma, quæ fastigium
aquare quodlibet posset, haud dubie maiores facit.

Vi

Vitalem Rauennæ Paulinus mactauit in fami supplicio, vt Neroni suo nihil absimilis videretur, atque vt in superstitis ministri saevitia & furore perempti iam principis ingenium emineret. Quippe tortum equuleo demisit in vastam cauernam, ingestisque saxis, venenato illic, & fœdo animalium gregi, ad ossa consumendum reliquit. irritauerat carnificem animum innoxia voce, cùm forte Vrsicinum medicum haud satis intrepide vadentem ad supplicium, admonuisset, vt in animi sui salute procuranda, recordaretur artis, quam factitaret. Ex eo, & nouus Vrsicino vigor, & ipsi palmæ principium fuit. Neque multo post subsecuta maritum vxor, pari constantia, & exitu. Rauennam tendebat illa, vt iugale cadauer inde Mediolanum adsportaret. Sed ubi diuinitus admonita retro in patriam iter conuertit, eam agrestes homines, qui Siluano sacrificabant, excepere, cumque sociam impietatis adsciscerent; postquam, nec preces, nec minæ alternis valebant, dimitunt ita verberatam atque contusam, vti triduo post expiraret. Plane abhorret animus mihi ab ea seueritate & rigore, qui communem & inueteratam gentium urbiumque retractare famam & opinionem amat. Sed tamen vix capio fidem illius gemini partus, quem maturo nondum vtero Valeria dicitur inter ea tormenta & pœnas edidisse. Infantum nomina Diogenes & Aurelius feruntur, atque adeò maternæ veluti consortes palmæ, suū in Ecclesia Mediolanensi cultum obtinueré, cùm tamen alioqui de hisc Aurelio ac Diogene nulla in veterum annalibus extet memoria. At Geruasium

sium & Protasium alteros c^e codem matrimonio geminos, qui vel seueritate vitæ, vel mortis genere, fraternalum illud vinculum nobilitauere, non ambigua tātum, sed contraria etiam involuit atque habet fama. Et parentibus natos illis, & exitu non dissimili mortalem hanc liquisse vitam constat; cæterū annus ipse Martirij nulli non scriptori talium rerum attente ac solicite vestigatus in obscuro adhuc latet, miraq; contentionum ambage ac varietate tota res in hanc illamve partem trahitur, prout quisque, tempus & annos, repræsentat, aut differt. Neque erat controuersia locus ac variationi, si non annalibus immista mentio Marcomanici belli, occasionem prebuisset. Id bellum isue motus, quia non reperitur inter hæc tempora, & quia non meruerat in hanc diem ea gens, cur arma Romana in ipsam mouerentur; ideo labrant qui martirium eiusmodi conferunt in hanc ætam. Astasius quoque Comes haud ambiguum Præfecti nomen, quo Præfecto certamen subiere, veluti contentionis totius non parua est accessio. Nam quia is honoris titulus hac ætate nondum increbuerat: inde scilicet efficiunt, in huius memoriae monumenta mendum irrepisse, rejiciendosque Martires usque in illud æuum, quo nomen id dignitatis foret in usu. Neque mouentur columellæ veteris autoritate, quæ iuxta Iouis arcem effossa, & erecta publicam in lucem, præfert nomina, & annos, & Martirij summā. Id adulterinum esse monumentum dicunt, litterarum argumento, quæ recentioris formæ notas & ductus male nimirum tegant. Proorsus his alijsq; coniecturis usque

vsque in Aureliani tempora Geruasius & Protasius ex una parte coniuncti sunt. In altera, quæ scilicet asserit eos ævo priori, sunt ipsius Philippi litteræ, fama constans Ecclesiæ Mediolanensis, & graue testimoniū Ambrosij, qui, cùm Aureliano centum haud amplius posterior annis diuino munere inuenisset ea Martirum corpora, scripsit ad sororem vsls ijs fetme verbis, quæ ab omni temporum & hominum illorū memoria longissime semnotos fuisse Geruasium & Protasium declarant. Hæc inter se contraria, & diuersa, nostra non possunt authoritate componi. Certè constat posteriores fuisse Nazario & Celso contra quām nonnulli scriptores tradidere. Itaque omissa obscura iam diligentia, quæ tenebras potius offundit huic loco, quām partem lucis ad fert, martirum ipsorum initia & finem expediemus, quomodo cælestes animi Tirannum aduerterint, quomodo priuata ipsorum pietas, gloria & prædicatione apud posteros pontificale fastigium æquarit. Pertinet enim ad nostrum institutum, Ecclesiæ Mediolanensi repræsentare suos proceres, & polliciti sumus, & libenter attinemur talibus, donec Apostolicis temporibus explicatis, veniatur ad ulteriora illa plena varietatis & potentiae, plena fraudum humanarum, haud sanè grata mihi, sed iucunda in vulgus materia. Protasium & Geruasiū genuere Vitalis & Valeria, de quibus paullò antea dictum est, eosque diligenter ad religionem & pietatem informauerunt imitatione sui. Itaque, postquam, Vitalem Paulinus, Valeriam rusticanus furor abstulerat, superstites filij statim excelsos animos aperuere.

QUPIV

peruere. Siquidem, concessa seruis libertate, patrimo-
nioq; diuendito, quicquid inde pretij est redactum;
id in pauperes large ac benigne sunt partiti. Et adeò
sine respectu effusa liberalitas fuit, vt ipsas in Chri-
sti gratiam ædes alienarent, reseruato paupere tecto,
sub quo dicuntur Monasticæ vitæ formam ac disci-
plinam instituisse priuatim. Inde multa fratum ine-
dia, multæ vigiliæ, saccus, verbera, preces, & alia,
quæ sibimet inuenire pietas solet; neque insignis vi-
ta domesticos intra parietes contineri ac latere diu-
tius potuit. Christianæ religionis accusantur, & sta-
tim impuri, sacrificuli incundum spectaculum ab di-
ro in rem Christianam odio gratulabantur sibi ac de-
stinabant. Sed gratia & commendatio nobilitatis ar-
cebat iniuriam, donec inuidia & furor tale com-
mentum excogitauit. Astasius siue Anastasius eo tem-
pore quidam erat Mediolani, penes quem summa-
terum. Huic ad nouum, & magni nominis bellum
proficiscenti, persuadent impostores, non fas esse ip-
sum ex acie victorem redire, nisi Geruasius & Pro-
tasius Christianam ciurare religionem cogantur; ita
oraculo sortem editam. Nec mora; citantur vterque;
& postquam solicitati modis omnibus, abnuebant;
Protasius ergo & capite multatur; Geruasij flagel-
landi non factus ante finis, quām concisus & lace-
ratus occumberet. Ita parentibus filij, non vita mo-
dò, sed etiam morte pares fuerunt, fama & celebri-
tate prope maiores. Cætera de reliquijs ac translatio-
ne sanctorum, vtique destinatum erat in illud reser-
uare tempus, quo tempore prodiere diuinitus in lu-

H cem

cem triumphante religione , & fœdos inter ciulatus ac fremitus assurgente velut Orco . Sed quia prouideo iam nunc , Historiam satis habituram esse negotij , si cætera temporis illius negotia , magnosque rerum humanarum euentus , & casus exsequi possit ; ideo , cælestia hæc & diuina tantò ante repræsentare , subitum , atque reliquam ad molem utile consilium fuit . Cùm ad hunc modum in Geruasij , & Protasij , corpora carnifex desæuissent , non minor in eorum reliquias desæuiebat iniuria vetustatis . Tenui tantum ac exolescente iam auditione ferebatur , fratres olim Mediolani geminos fuisse , qui , cùm cælestem in terris agerent vitam , carnificis manu modis indignis occubuerint . Nomina quoque variantes corrumpebant , & Protasij vice Oribasius ibat in ora . Mox compressa tamdiu gloria , cumulatior venit . Ambrosio Pontifici , cùm solenne quadraginta dierum ieiunium exegisset ea seueritate & abstinentia quæ propria ipsius fuit , nocte quadam , inter quietem , quæ finitima esset vigiliæ , duò pulcherrima specie iuuenes apparuerunt , quos cùm magnopere gestiret alloqui , hæretet lingua , neque posset omnino quicquam effari . Paullò post , inter eum conatum expurgiscitur , statimq; iuuenes ex oculis abicerunt . Tunc Ambrosij solicita mens haud dubie suspicata dolum , & latentes insidias , ac solita machinamenta Dæmonis improbi , distrahebatur ancipiiti cura , subeunte rursus metu , ne diuina visa , & oblatam è cælo speciem mala suspicione violaret . Renovat preces , addit ieiunia petitq; supplex à Deo opt.

max.

max. vt si cælitus immissa species foret, repetitis vi-
cibus immitteretur; alioqui facesserent oculorum lu-
dibria, & spectra, & clementi vultus. Apparuere
iterum atque tertio; nec iam erat somnus & quies,
sed ad exigendam rei fidem attenta mens, & ieiun-
io ac fame vigiles oculi. Intempesta nocte, cum
obuersarentur nota iam iuuenum ora, simul adfuit
veneranda canitie senex, qui Paullum Apostolum
imitaretur ore ac vultu. Is Ambrosium ita est allo-
cutus. Hi sunt, qui salutaria sequentes monita, spre-
taque sæculi vanitate, constanti erga Deum obsequio
& angustijs humillimi tecti, Martirij decus meruere.
Horum inuenies corpora, quæ tibi quotidianæ pre-
cationis est locus. Ibi ad sextum dodrantem effossa
humo, arca marmorea complexa cælestè pignus ap-
parebit. Tu arcam aperito, eaque in area, Martirum
nomini templum ædificato. Hæc ferme Paulus Am-
brosio. Ambrosius inde precatus, vt contra adspicere & alloqui fas esset, quo nomine forent hi Mar-
ties, rogar. Responsum est, ipsa in arca tabulas fo-
re, quæ nomen, & vitam, & exitum eorum am-
pletecentur, isque colloquio finis & visioni. Læ-
ta ea res Ambrosio, quippe qui præcipua religione
veneraretur, notam quidem fama & auditione, no-
minibus verò confusam & incertam eorum cohor-
tem, qui Mediolani pro Christo sanguinem effudis-
sent; ac mirifice teneretur studio, vt magna marty-
rum nomina, magnasque reliquias in publica vrbis
& Ecclesiæ luce collocare posset. Ita pastorali gestiens
alacritate, prouinciales Episcopos velut in triumphi

H 2 partem,

partem, ex omnibus vndique locis conuocauit. Postquam frequentes adfuere, totam sacro cætui seriem visionis exponit, verba, locum, ora, suas quoque suspiciones, & exitu disiectos metus, quid initio pauisset, quomodo diuinam opem implorasset, memorat. Magna res omnibus visa, coniunctaque gratulatione ac pietate, cælestis beneficij magnitudine, & monstrata munera, moxque futuros in conspectu Sanctorum artus, & augustissima ora venerantur. Inde auersi ad iussa exsequenda, suis ipsi manibus moluntur humum, & egesto cespite prout edictum fuerat, arcam reperere. Hac reuerenter atque trepidè soluta, flagrantissimæ suavitatis odor, primò circumquaque manauit; mox proceri iuuenes recenti cruore perfusi quasi viuacibus adhuc oculis emicere. Simul agnitæ litteræ, quæ totam illorum martirij seriem & ordinem, fortunam quoque & parentes, & nomina & vitam explicarent. Sic monstrati, sic reperti Martires, quanto par fuerat, ciuium concursu, & publica gratulatione celebrantur, instructaque, prout opes & ritus illorum temporum erant, pompa & agmine, quam splendidissime faustinianam in ædem, atque inde postero die in basilicam Ambrosianam transferuntur, neque finis miraculorum queis diuina benignitas celebritatem eam honestaret. Cæcus erat quidam Seuerus nomine, publicè notus ex laniena, quam factitarat. Is cùm ad sacra fercula, ductore per medium turbam iter apertiente, peruenisset, plenus bonæ spei stragulam vestē exosculatur, quæ reliquias iniecta superne contegebatur,

bat, statimque ipsi reluxit dies. Pompa dein procedente, fremitus Dæmonum exaudiri, quos Ambrosius in crucis figuram explicata manu diuinitus fugabat, obsessique mortales ab Dæmonum seruitute in Christi libertatem asserebantur. Ob eas res, cum faatrix Arianorum Iustina, quæ Pontificem exercuit tantopere, ferocem animum exueret, atque inciperet adhaerescere Catholicæ veritati, non temperauere quidam ex illa secta, quominus criminarentur, conduci homines ab Ambrosio, qui se fingerent lymphatos, & per ludibrium ad simulato miraculo, populum concitarent. Sed calumniæ probrum illius mox recidit in authores ipsos, gloriaque sanctorum aucta potius eo mendacio, quam imminuta. Namq; phanatico spiritu corruptus ex ea colluione quidam, horrendos ciulatus cœpit edere, & cruciatus acerbissimos, queis ipse torqueretur, imprecari diris omnibus in eos ipsos, qui Christi Martires impudenti mendacio dedecorare fuissent conati, quique salutarem Ambrosij doctrinam auersarentur. Inde Geruafius & Protasius esse in magno honore, crescere Catholicis authoritas, alteri illi, vanitate detecta confusi & incerti rerum suarum hærere. Ex Faustiniana in Ambrosianam Basilicam postmodum ossa comportantur, affluente certatim ad spectaculum populo, & veluti oblatis è cælo patronos, atque tutelares amplectente miris modis. Ambrosius collocato ferculo destinata in sede, concessionem habuit luculentā, qua, simul cælestē munus extolleret, simul increpareret Arianos, quorum animi etiam aduersus diuinam

mira-

,, miracula contumaces essent . Vidistis aperta diuini-
,, tus lumina, quæ clauserat offusa nox , redditamque
,, cæxo lucem ? Vidistis attonitos Dæmonas , & hor-
,, rore ac trepidatione fluctuantes inferos ? Et sunt ad-
,, huc qui lucem oblatam adspicientur , neque tanta-
,, rum rerum admiratio flectere animos potest ? Hæc
& alia in eandem sententiam ab Ambrosio perorata
spiritu ingenti ; neq; deinde Mediolanenses eius diei
memoriam segniter coluere . Apud exteris quoque
gentes , ea diuulgata fama studia pietatemque conci-
uit . Vsq; in Africam expetita fragmina , positæ mul-
tis locis aræ , magnorumq; virorum ingenij & elo-
quentia quæ tunc erat , laudati Martires , & vrbs Me-
diolanum antelata magnis aliarum vrbium fortunis ,
cui præsidia hæc & ornamenta cælestè Numen ob-
tulisset . Nos quanquam celebritatis ipsius ordinem
hoc loco velut antecapere commodissimum existima-
uimus , ea tamen testimonia deinceps & monumen-
ta proferemus , ut quiq; locus inuitabit . Caio tredecim
vigiliæ Mediolanensis annos , fama frequentior perhi-
bet ; in vigesimum usque secundum durasse quidam
tradunt . Fuit is primus ferè conditor cæremoniarum
& rituum , vnde sacris rebus honoris ac dignitatis
aliquid interlucet . Nam & in odæo choros alterna-
re , & funebri cantu modulatis precibus exsequias ho-
nestare , sunt ipsius instituta . Magnam in omnibus
rebus ei fuisse gratiam & decorem perhibent . Non
tamen ad extremum Præfecti vitauit immanitatem
publicè virgis cæsus , atque missus in exsulium ob
eam causam , quòd malefica verborum ui corrumpe-
re ac

re ac infatuare ciues diceretur. Tanta facultas orationis fuit, & tanto ardore ac spiritu rationum momenta demittebat in eorum animos, quibus persuadere aliquid vellet. Eius ossa, & reliquias Franciscanae aedes habet, certa sanctitatis, ambigua Martirij; ego Martirem Caium affirmare non dubitauerim, vel quia tempora fuerant eiusmodi, ut euadere non potuerit, vel quod vna cum Clatæo Brixiae Pontifice multa saeva pertulisse ipsum grauissimæ litteræ testantur. Clatæum imposuerat Ecclesiæ Brixiensi pontifex Anatholon, quo tempore ipse Barnabæ successor camvrbem relinqueret. Vbi successerat Anatholoni Caius, venit Mediolanum, vt cum eo de regendarum animarum ratione colloqueretur; & quasi tenderet in certa pericula præsentemque perniciem, Viatorē nomine rogauit, vti gregis interea curam ageret, ac si quid sibi tristius accidisset, ad finem usque perseveraret in illo vicario munere. Ita confestim hospes ducitur in vincula, & in poenam constantiæ qua Christum amplexus vana Idolorum aspernabatur Numa, percutitur securi, quæ tunc post cruciatum tentamenta, expeditissima via mortis erat. Haec tenus Barnabæ comitatus & disciplina populo Mediolanensi pastores dedit. Qui deinceps obtigere proximi primis longum in tempus augusta nomina, & radiati capitis honores hereditario quasi iure vicissim accipiunt, & transmitunt. Dein alij sequuntur, partim vita magis quam appellatione sancti, partim similes hominibus cæteris consuetudine morum ac studiorum, & genus vitrumque subinde distinguit varietas,

tas, ut si ex turbido serenus, aut è sereno turbidus dies existat. Quo tempore Caius excessit urbem Romanam Cletus, Pontifex maximus, Domitianus Cæsar habebant; annus à Christo nato octuagesimus octavus agebatur suppatione vulgata, quæ si vera est, nihil ambigam, quin per illud spatium aliquandiu sine pastore Mediolanenses fuerint. Namque cùm Barnabæ septem tredecim Anatholoni, Caio totidem adscribant; in promptu est ratio, qua ratione convinci potest, à quinquagesimo, qui Barnabæ primus fuit, ad Cai ultimum quinque utique annos excidisse. Sed tamen prompto post Barnabam Anatholone, & post Anatholonem Caio, rursus in anticipi mihi animus hæret, neque inter pontificij rationem explicat satis; nisi fortasse longiora vitæ spatia singulis fuere, rariorque fama propior est vero. Postquam cælo receptus Caius sine Pontifice, & capite reliquit Ecclesiam, ipsi ciues è suo corpore, sacrum ducem, à quo regerentur, inuenere. Castritanus is fuit Olidanæ stirpis idoneus muneri; Sed recusabat, donec efflagitatione popularium victus flexit ut desineret rogari tandem & negare. Antea qui fuisset alienor ab omni honoris titulo & cura suscepta mox Ecclesiæ Mediolanensis, administratione tantam instinctu diuino gregis induit caritatem, ut, & superioribus illis pænè par haberetur, & posteritati difficile certamen vigilantiæ pastoralis relinqueret. Primum omnium cùm paulò antea Domitianus in sacras ædes, & in omnia religiosa loca fœdam vastitatem intulisset, neque iam haberent Christiani, quò congregarent

rentur ad cælestem opem precibus & sacrificijs expo-
scendam ; ille tum vetera templa restituere , tum con-
seccare noua est aggressus . Et prompta Castritiano gen-
tilium suorum liberalitas erat , nec vlla sumptus aut areæ
difficultate laborare illum patiebantur . Quippe Phi-
lippus Oldanus , & eo defuncto , Portius & Faustus
imitata parentem proles , vltro in sua tecta Pontifi-
cem induxere ; & eò statim ille diuinæ religiones
induxit , ædesque Portianam vnam , alteram Fau-
stianam appellantur . Id gratiæ datum ac pietati , vt
sic largitores duorum fratrum animos futuri homi-
nes noscitarent , & mansere perdiu templorum appella-
tiones , donec potiora sanctorum nomina , Victor
illi , Vitalis huic incessere . Vtramque videre patres
nostræ , collapsas nunc , & refectas ea temporis varie-
tate , quæ nihil æternum sinit . Faustiniana ædes fuit
illa , quæ Diuo Ambrosio Iustinæ furorem vitanti re-
ceptaculum præbuit , ibique sacros himnos & psal-
modiam vniuersam ad Græci ritus consuetudinem
diuinus pastor est modulatus . Sed eius rei principiū
& finem , quæ mulieri causa Præstilem insectandi ,
quod ipsius in tali tempore robur & constantia , cùm
ad illa tempora ventum fuerit , explicabo . Castritia-
nus , apertis in hunc modum Basilicis , vt essent , qui
cas obtinerent , initiauit sacris , & descripsit in sacra-
munera vicesque quos ad quodque ministerium esse
idoneos putaret . Per eos Christiana multitudo sine
strepitu ac tumultu cogebatur in templo , partemque
publicæ iam lucis usurpabant , quos perdiu latitare
sæuitia temporum coegisset . Ipse quadragesimopri-

I mo

mo anno quām Pontificatum inierat decessit, quo tempore Sophia cum tergemina prole profecta Romanam, miraculi fuit instar in urbe, quæ sua tantum admiraretur; & alumnas eas nostræ ciuitatis curatius memorari ius fasque est. Sophia patria Mediolanensis fuit; opes ei supra ciuilem fortunam; mari-
ti nomen intercidit, filiæ treis magnarum virtutum, nominibus appellatae, Spes, Charitas, Fides. Indiderat ea nomina Caius cùm domum vniuersam à patris erroribus ad Christiana sacra transferret. Simul ille molles atque tenueros animos alienarat ab omni rerum humanarum cura, docueratque cælum potius & nunquam interitura bona meditari ac sperare. Fortè sub id tempus quo Castritianum Ecclesia defleuit, harum pater, vir Sophiæ, domum & ciuitatem perculit magno funere, viduaque mulier, & orbæ virgines relicta solitudini ac squalori, non muliebre consilium iniere, ut relicta fortunæ suæ mole, Romam proficiscerentur, atque ibi in plena religionum, & carnificum urbe, Martirij spem tentarent. Postquam urbem intrauere fœminæ illustres, paratoque domicio fixere ibi sedem, nulla fuit mora quominus, & claritudine generis, & vitæ forma incurrent in solertes oculos, & gloriosi criminis accerserentur. Praefectus urbis erat Antiochus, cui urbana inter peregrinos iurisdictio, funestaque in Christianæ religionis homines cura. Delata peregrinarum nomina statim ille defert ad Hadrianum, isque collato cum suis capite, mitti viatorem, & sisti reas iubet. Mox in con-
spectu iudicium fuere, grandis ævo mater, & simpli-
ces.

ces puellæ ; illa non deiiciens ab filiarum oculis suos, hæ pati sollicitudine matrem intuentes ; neque carnicinæ imminentis horror erat , sed mutum alloquium, quo tenerior ætas vltimi roboris exemplum ab illo petebat ore, vnde prima præcepta salutis hauferant , & in hoc ipsum intenta matrona firmabat certamini sua viscera & partus . Dicuntur perculisse confessum illum , dignitate vultus & animi constantia , simul atque illato in Curiam gradu, muniere pectora & frontem nota crucis , ac deinceps impavidæ negotij finem exspectabant . Exuta repente toruitate, Præfectus, cùm in eam haud dubie partem inclinaret, vt parceretur harum nobilitati & sexui, vtque nubiles adolescentulæ seruarentur in splendida matrimonia , daturæ vrbi non degenerem prolem ; flexo in blanditias vultu Sophiam affatur his verbis . Magni te criminis ream vrbis rumor facit, & nos aemus cognoscere, qua mente , quove instinctu , Iouem patrem , & Junonem Reginam , imperijque seruatores Deos adsperrnere , simul improvidam istam ætatem , quam materna cura ad patriam informati religionem oportebat, abducas ab recto de tota diuinitate sensu, doceasque colere pro Deo, quem superior ætas hominem vidit . Breue responsum ad ea fuit Sophiae; deuotum caput habere Christo ; ibi gaudia simul & vota sibi puellisque ; experiretur ubi vellet Christianæ fidei vim admiraturus . Ea constantia maius adhuc incitamentum fuit iudici , quamobrem vitæ ac sanguini peregrinarum faueret . Dat pœnitentiæ tempus , & præstituto trium dierum spatio,

I 2 intra

intra quod spatum de religione deliberarent, pueras ipsas interrogare supersedit. Deponuntur interim vna cum matre nobilem apud matronam, quae litteris & ingenio, simul grauitate morum, & innocentia vitae, facile princeps Romanarum habebatur. Huic negotium est datum, ut pollicendo Mediolanensibus feminis quemcunque vellent fortunæ locum, ac ex diuerso, denuntiando pericula, & inclitæ domus excidium, miserandoque tot simul funera, & Deorum maiestatem amplificando verbis, conaretur hospites ab suscepta religione detorquere, id meritum, idque decus fore penes ipsam. Palladia nomen erat matronæ. Huius in ædes cum sua prole Sophia est deducta. Contrahit celeriter similitudo morum animos, ac nisi religione discreparent, statim erat inter ipsas familiaritas, & necessitudo, quanta si vna vixissent foret. Itaque Romana, præter publici decoris auditatem, insuper anxia peregrinarum exitio, quatere ac diuerberare veluti tormentis & machinis excelsos animos cœpit, si quo pacto posset eā iudicibus, & Cæsari victoriæ cumque triumphum ostentare. Cecidere in irritum conatus, ultroq; concessionalem matronam, Sophiæ rationibus, & argumentis, & exempli magnitudine permotam, ut Christiana sacra sequeretur, ferunt. Quarto die producuntur in iudicium, ibique coortus Antiochus in noua tentamenta versare in omneis partes ætatem illam puerilem misstit. Modò Veneris pullas, & sacerduli flores, & pulcherimas omnium appellare flagitious verbis; modo plumbata & equuleum, & vincum,

&

& flammis proponere ad terrorem ; interdum obsecrare ne anum illam infelicem sua traherent strage, neve cum ipsa vnam in necem implicarentur. Cum aduersus ea puellæ fortes animos obtinerent, non ultra differendos esse conatus ultimos iniqui iudices pronunciauerent. Duodecimum annum agebat Fides, reliquæ duæ minores uno circiter aut duobus annis, ne fortitudine ac virtute superarentur anxiæque, & intentæ ad certamen erant. Seruauit ordinem Curia Fidesque maxima natu , ad hoc solum est sororibus antelata, ut prior necaretur. Necandi fuit ingenium atque commentum eiusmodi, ut postquam venerari Dianam abnuisset , primò deseuiretur virgis in tergum , dein vbera contorquerentur à pectore , mox ambureretur igni , postremò caput abscinderetur . Spes deinde succedit . Tentatur ipsa quoque flammis, cæditur loris, trahitur in contrarias partes , & datis ad extremum ceruicibus , fertur in cælum . Par in Caritatem lætitia , finis idem . Ita treis sorores præbuere nouum , & horribile spectaculum urbi, cum interea maximum ipsa Mater spectaculum fuisset . Viderat laniari singularum artus pattemque cruoris biberat veste manu , nec euicta in lacrimas , nec voce supplex , nec vllam in partem animo commoto , nisi vel proli suæ cruciatus eos inuideret, vel eiusmodi sibi prolem gratularetur . Miracula quoque & magnæ de cælo significationes ad celebritatem eam honestandam adfuere . Nam & suppresso virginum sanguine lactis modo per corpora liquor manauit , & mutata repente natura refrixit aut intepuit ignis,

ignis, corripuitve iudices ipsos, & lætæ interim Martires nihil aliud, quam ne anima celeriter laboretur, optauere. Cæterum, Sophiam quomodo potuerit fugere palma Martirij non sanè ego videre satis possum. Nam & mater erat, & inter ipsa tormenta defliterat nunquam animare filias, quæ puellariter simplices ac teneræ fortasse spem fecerant posse ipsas inflecti ac deterreri. Sed utique dicitur extincta placi-do admodum exitu ac leni, cum sepultis triduo post materna cura filiarum reliquijs ciens modò singularem nomina, modò communiter vniuersas incubaret; ibi connuentibus oculis expirasse. Ac Sophiae quidem, & trium sororum hic Romæ sub Hadriano exitus fuit, seruavitque illud Mediolanense decus opulenta cælitum Roma. Mediolani Faustinus & Iouita Brixenses, ferme sub idem tempus eodem Hadriano regnante, par miraculum fuere; videnturque quodammodo redditæ vices, ut nostra martirum robora foris, aliena hic spectarentur. Oportet autem eos peragi ceu nostrates, & indigenas, qui, vel provinciali iure ad nos attinuere, vel si nihil momenti prouinciæ nomen faceret, in partem ciuitatis vtique venire prerogatio Martirij, cuius tremendum, & admirabile præludium hic fuit. Faustinus & Iouita Brixiae in Cænomanis nati, parentes, maiores, fortunam, corporis item & animi bona inter paucos habuere, cumulusq; bonorum prima statim ætate Baptismus accessit. His vbi firmior adoleuit ætas, non fuere curæ solita iuuenium studia, iacula, venatus, equi, quæue alia pro virtutibus oblectamenta plerique

que nobilium æmulantur. Sed longe diuersam vnam
nimes vitæ formam secuti, concionari, docere, alli-
cere modis omnibus in rectam Euangelij viam eos,
qui nativo gentium errore, quiue sacrificulorum in-
stinctu ruerent in præceps, vel praua, vel nulla de
Deo, deque futura vita cogitatione & cura. Cùm ce-
leres ad excogitandum motus haberent, flueretq; di-
uinitas quædam orationis ex ipsorum ore, congrue-
bant insuper ad illud concionale negotiū etiam for-
tuita & rara, frons, oculi, vultus, & aliae, dotes ex
quibus magnos aestimare viros insuevit multitudo.
Itaque breui tempore, toto Cænomanorum tractu,
vim hominum ingentem ex Orci faucibus erectam
in Ecclesiæ gremium transtulere. Apollonius Brixianæ
cum sacro imperio tunc erat, seque & sacra, & pon-
tificatum ipsum occultans in cauernis, quas contra
carnificum rabiem Christiana religio sibi passim fo-
diebat vnicum tutamen. Is cognito iuuenum studio,
& humanæ salutis cupidine, simul quanta forent elo-
quentia & doctrina, euocat illos in specum, & pro-
ut iusta & matura fratribus erat ætas, Faustinum sa-
credotem creat; illum alterum initiat Diaconatu.
Haud ultra impune illis fuit. Accusati religionis in-
fando velut crimine sistuntur Italico Praefecto, & si-
stit ille mox Hadriano, qui cæli secutus amœnitatem
mutabat subinde loca & sedem, quæ fluuius Ab-
dua, vestitu riparum, & vndarum liquore nobilis decur-
rit; ac per id fortè tempus Brixiam inde peruenierat.
Multæ sicuti dictum est fratrum erat claritudo, mul-
ta gratia in vulgus, apud nobiles quoque, & apud

Sc-

Senatum, domi, foris, & super omnia, nomen fecerat, inclita patris authoritas, quo non alias per ea tempora splendidior inter Cænomanos fuit. Ob ea, Cæsar experiri voluit omnia prius quam ad extremam illam supplicij necessitatem deueniret. Adductos in conspectum suum, increpat modò seuerus & minax, modò tener ac mollis, & velut ignoscendi locum querens. Postquam frustra erant & blandimenta, & minax, flectere genua ipsos, & Solis adorare simulacrum iubet. Phœbæum erat signum, ex auro, pretiosa gemmarum vñionumque coagmentatione simillimum consideri splendorem vibrans. Contra id signum admirabile carmen exorsi Faustinus & Iouita, uno concinnunt ore totidem verba. Sol cognouit occasum suum posuisti tenebras, & facta est nox. Dein Iouita, clara voce ut omnibus audirent, statuam ipsam iubet vertere sese in picem atram & obscuram, & similem eorum tenebris atque cœcitati, qui debitum conditoris rerum Deo cultum vltro creatis rebus exhiberent. Vix ea dixerat, cum statuæ fulgor omnis euanuit, successitq; piceus colos, & radij micantes noctis imaginem contraxere. Tunc hotiore perfusus Hadrianus tergi statuam iubet spungis, & arte multipli ci, si forte detracta fuligine pristina species rediret. Id cum certatim ab impura sacrificiorum cohorte tentaretur, statua repente in cineres, & fauillam est delapsa. Intremuerant eo spectaculo statim omnibus, & profecto magnum illud esse Numen suspicabantur, cuius ad nutum & voluntatem ipsa natura rerum immutaretur, aurumque splendidissima res, & inuidita

uieta sacerdotis, uno temporis momento decideret maiestate sua, ac ne Sol quidem ipse, penes quem naturæ totius regimen, ab ea vindicaret iniuria sua simulacra, & honores. Hæc pro se quisque cum admiratione vel metu. Sed non Cæsar, non deterrimi satellitum fatisfecabant. Immittuntur in iuuenes bestiæ demptis vinculis, leones, vrsi, quasve alias, natiuaribies, & ingluuies, & diuturni carceris tedium efferarat. Grex ille famelicus ac toruus vbi Theatrum intravit, tollunt carnifices clamorem stimulandæ ac inuitandæ ad prædam feritati, simul subditæ faces, quò violentius ruerent ac ferrentur. Id quoque meditamentum, & ingenium in ipsos recidit authores euentu mirabili. Namque cum incitata feratum cohors natiua tela exeruissest, ipsos arte quadam vita uere Faustinum & Iouitam; in cæteram verò turbam, ut quisque, vel maxime infestum sustulerat clamorem, vel tacitus gestiebat certa iam laceratione iuuenum stragem dedere. Tunc enim uero maior etiam quam antea motus animorum est factus, multiique tam præsens venerati Numen, expetiueru Christiana sacra, quos Apollonius postea vitalibus aquis expiauit. Mox Hadrianus extremo velut conatu inferri Saturni statuam iubet; quippe parentem eum Deorum & hominum esse, cuius adspectu, eludi ac vinci præstigatores possent. Infertur statua circumlucentibus candelis, multiplici sacrificiorum ministerio, succollantibus ex aula qui dolori principis in tali tempore iactanter adulabantur. Hæc pompa simul atque inuchi cæpta theatrum est, ferocissimi leones, ruptis

K qui-

quibus attinebantur vinculis, infelicem illam turbam inuasere, perfusaque ministrorum cruento statua sternitur humi; neque finis sanguinis & cædis, donec ipsi Faustinus & Iouita iussore feras vadere inde per arua & colles. Id imperium ubi statim intellexere leones, innoxioque per medram turbam egressu sunt dilapsi, simul ut iacens humi Saturnus ante oculos fuit, deseruere Cæsarem, & nomina Christo dederunt ex intima illius familiaritate nonnulli, quorum veluti duces Afra, & Calocerus fuere. Stravit ea res Cæsaris animum; vœcordiam non imminuit; absit in præsentia satietae fessus, ac ne miraculorum ultra materiem daret. Cæterum eo tempore Mediolanum profecturus, raptat secum agminis ludibria, Faustum & Iouitam asseclasque, ac Mediolani rursus tentat cælestis animos, inuiolabiles artus. Ac primò quidem in guttura plumbum cliquatur, quod cum fieret, resiliebat in artificum ipsorum ora feruidus liquor diraque peste profanos vultus inuoluebat. Inde sublatos in equuleum incessunt lapidibus, ardentibus vrunt laminis, saeuissimis denique feris iterum obiectant, & cum per hæc omnia imperuios ipsos esse morti non iam Cæsar ambigeret, discedens Mediolano Romam trahit vna, dein Brixiam remittit. Ibi securis impacta collo, nec ultra in terris fuere Faustinus & Iouita. Sub Castritiani finem, & initia Kalimeri exhibuit accepitque talia Martirum spectacula vtbs Mediolanum, conuolente sibi met rabie vnum in cumulum, & matrem & filias, & fratres, ut non ætas vlla, non sexus, non humanæ caritatis

vin-

vincula decesserat ad satiandos oculos explendamque
voluptatem. Neque mox Kalimero minus cruenta
Pontificatus via, videntque plenam funeribus urbem,
codem saeuiente furore, dein & ipse funus fuit.
Kalimerus natione Græcus, loco nobilis, prima sta-
tim ætate litteras & pietatem adamarat. Sed cum
incidisset in ea tempora, per quæ Græciam vniuer-
sam intestini tumultus agitarent, & rectæ disciplinæ
pellerentur ex ea Terra, quæ parens olim ipsarum fuisset;
ideo magna spe summæ virtutis adolescentem
soliciti parentes Romæ educandum curarunt. Tele-
sphoro Pontifici Maximo traditus in disciplinam bre-
ui tempore talis euasit, ut cœlestium curarum socium
cum, & collegam Magister ipse destinaret sibi. Sed
postquam extincto Telesphoro superstites discipuli
conquirebantur ad necem, exemplisque miserrimis in
nomen omne Christianum Imperatoria grassabatur
impetas; ille, quia verebatur, ne minus adhuc ro-
boris haberet, quam ut par esse tormentis posset, pal-
mam distulit arrepta fuga, de qua sic memorant.
Primò vagatum aliquandiu nocturnis itineribus nul-
lo satis certo consilio quonam iret; dein cœlesti mo-
nitu Mediolanum tetendisse, ibique comiter exce-
ptum ab Castritiano diainitus prælagiente, quantum
olim ex fugitu illo adolescēte pastorem animarum
habitura esset Ecclesia. Altero anno, quam Castrit-
ianus ad Ecclesiæ curam accessisset, Hygini Summi
Pont. primo, Hadriani Cæsaris undecimo, venisse
Kalimerum tradunt, quibus ista diligentius explo-
rare fuit curæ. Hæc mihi demum recte inita sum-

K 2 ma

ma videretur, nisi contrariae multorum rationes suspectam eam facerent, quas utique referem; nisi obstatet ingens verecundia ignorantie cunctis, & per ignorantem distracti atque. Nos tamen ad certa, & incertae dubitata reuertamur. Defuncto Castritiano, sicuti paullò ante memoratum est, squalebat ingenti mœrore Christiana multitudo, propterea quod tantæ virtus, quanta in illo fuisset cognita, sapientissimum, & optimum quenque ab Ecclesia capessenda deterrebatur, neque flecti quisquam poterat, uti vacuam in se dem veniret. Porro parente ac præside carere Christianos, in tanta circumsternentis impietatis vexatione perniciosum videbatur. Igitur, postquam aliquando consultatum est, eunt ad Kalimerum certi cogere, nisi ultra manum daret. Erat is in Faustiniani templi Collegium ab hospite suo Castritano iam antea cooptatus; ibique psalmodiae, & Catechismo, certe risqué muneribus intentus martyrio firmabat vires, & audie coronam expetebat, quam olim petere non esset ausus. Fertur, cum obfirmatos animos, & recusanti vim paratam animaduerteret, inuocasse flebili voce Castritiani cælestem opem, ne se illi muneri adactum vellet, cui non ætate, non doctrina, non animi præsentia, & vigore par esset. Dein conuersus ad eos, qui circumfusi responsum expectabant; vos quidem, inquit, corpori fortasse catenas iniijcietis; animus mihi tamen, nisi diuinitus mutetur, ab ista dignitate semper abhorrebit. Eligite potius aliquem è vestro corpore parem muneri, qui tractare popularium animos sciatur, & à quo tractari populares velint. Inquilino mihi ciui-

ciuitatis alienæ mores ignorantur, & extetna Imperia " multos offendunt. Barnabam, Anatholonem, Caium, " antistites peregrinos facile prima tempora potuerunt " sustinere: Nunc domestica virtute regi vos oportet, " cuius ne aliquando posset pœnitere, vel proxime Ca- " stritiani Pontificatus effecit. Hæc, & alia disserebat Kalimerus, abnuebatque pastoralem curam adeò præ- cise, ut fugitus videretur; cum ipsi subito nectuntur vincula, atq; ita ligatus pontifex raro exemplo ducitur ad honorem inchoandum. Id simul atque factum est, & ubi viri modestiam atq; submissionem, populi con- sensus & altitudo diuinæ destinationis euicit; statim ille in omnes Reip. bene gerendæ partes intendit animum, cognitumq; est experimēto rerum ipsius, gubernatores animos non semper deesse illis, qui priuatæ vitæ quiete amplexi, honores & magistratus auersantur. Fecit enim Kalimerus & instituit conseruando & amplificando gre- gi, ea omnia, quæ diuinus quilibet alias pastor institue- ret, ac faceret. Neque verò illi campus & ampla de Deo bene merendi materies defuit. Regnabat adhuc Hadria- nus, qui iam effratus fuerat in tantum, ut hauriendo Christiano sanguine nullo modo satiari sitis eius possit. Is per duos potestatis suæ Vicarios nostram prouinciam regebat dira bonorum clade. Namq; rapi sexum & æta- tem omnem ad inanes Deos, & ubi detestabilem cultū abnuissent, torqueri & maectari quotidianum erat. Itaq; Kalimerus multorū tunc frequentare domos, itinera & egressus obseruare, ad Tribunal, ad carceres, & in ipsa carnificina cunctis hortator adesse palam. Neque liber- tam inultam sacrilegi magistratus sinebant.

Siqui-

Siquidem & in vincula sæpe coniectus, & verberratus acerrime, & aliquando etiam ob ea pulsus in exilium fuit. Necem tamen atq; vim extremam in Antonini tempora dilatam constat haud dubie nutu diuino, ne scilicet Christianam plebem absque pastore destitutam in tantis miserijs desperatio, & metus inuaderet. Neque verò diuina viri virtus Mediolanensibus tantum fuit saluti, sed alias quoque terras cum magno animorum fructu est peruagata. Liguri per seipsum, Derthonensi per Marcianum, per alios alijs mortalijs cælestem opem auxiliumque tulit. Liguriam principiò Barnabas, & post eum Nazarius & Celsus obierant; sed Kalimerus vniuersam fere ad Christum adiunxit, neque Derthona Episcopum ante id tempus habuerat. Ille, dum in hunc modum domi forisque rem Christianam auget, & dum sese pro Christo quotidie periculis obiectat, anno demum centesimotertio salutis humanæ, calumnijs improborum, & scelerata conspiratione circumuentus extinguitur. Quod vti factum fuerit, paucis edisseram. In ea vrbis regione, quæ nunc Diui Kalimeri cernitur Basilica, tunc Romulæum Sepulcretum, & Apollinis Fanum erat, quæ loca cæci mortales inani religione frequentabant. Eò sæpe Kalimerus ibat, ut subinde aliquos ab impuro cultu deterreret. Notum id Imperatori; sed premebatur ira, donec aliud crimen affinxere, quo iam exulceratus animus ad sacrilegiam necem irritaretur. Quippe miscere ac perturbare Kalimerum suis concionibus omnia, neque fisti posse malum illud, nisi quamprimum occurratur. Ea res

res diuino præsuli martyrium acceleravit. Comprehensus eo in loco, quem dixi, contususque calcibus, & pugnis, deditur ad supplicium insanæ cohorti, quæ memoratam Apollinis ædem tuebatur. Illi tanquam violato Numini piaculum facerent, omnia sacrum in caput documenta crudelitatis edidere. Dicuntur immani plaga secuisse pectus, ardentes dein admonuisse tædas, plumbum etiam igne liquatum instillasse gutturi, & postquam nihil omissum esset earum rerum, quas suauitas effundendæ iracundiæ, & doloris puniendi suggerebat, in puteum præcipitauere cadauer, cauillantes insuper, quod eum abluerentalio modo, quam quo ipse cæteros abluiisset. Hunc exitum inter paucos kalimerus habuit, repudiato Pontificatu magnus, nisi postquam acceperat, maior extitisset. Sed incredibile dictu est, obscura longinquitas æui quantas tenebras in istarum rerum memoriā inuexerit. Adeò diuersa locis, temporibus contraria, pugnantia personis, traduntur ab illis, ex quorum vhanime testimonio, & constanti fide nostram pendere fidem oportebat. Andreas Alciatus magni nonminis vir, patria Romanum Kalimerum scribit, & reliqua deinde tam diuersus à cæteris, ut neque Mediolanensis Ecclesiæ monumenta, neque communem famam respexisse videatur. Nec exitu vitæ Martyrem agnoscit, & Romæ, non Mediolani factum Episcopum scribit. Addunt alij annales miracula, totamq; rem in hunc ferè modum exsequuntur. Hadrianum Imperatorem venisse Brixiam aliquando, sicuti memoratum est, ac ex ea vrbe Faustinum, & louitam.

Chri.

Christianæ religionis accusatos homines Mediolanum secum adduxisse; ibi sedentem in Herculeis thermis diuinos fratres tentasse tormentis; leones, vrsos, pardos in eos immisisse. Sed cum exuta diuinitus feritate bestiae, blando & molle rictu sacros pedes lambarent, inde Roman tractos ab attonito simul & irato. Eò postquam peruentum fuerit, nactos occultam facultatem lustralibus aquis expiandi Kalimerū, qui adhuc in patria superstitione persistaret. Id cum fieret, auditam è cælo vocem, quæ creari Episcopū eum iuberet, nec deinde Romano Pontifici, qui latitabat in cauernis, motam ullam fuisse, quia sacris initiaret Neophyti, & populo Mediolanensi pastorem daret. Hoc esse kalimeri principium, & hanc vocationem, quam non solum homines assensu publico comprobauerint, sed Deus ipse nobilitauerit. Etiam de spatio temporis, quo sedem hanc tenuerit kalimerus mira inter scriptores dissensio est. Alius quinquaginta annos numerat, alias ex eo numero decem aufert, nonnulli etiam quatuor addunt; & aliquis varietate portentosa in nonagesimum usque tertium ipsius Pontificatum extendit. At mihi in tantis ambagibus nullum certum iter explicanti utique debetur venia. Nam commentaria, & libros, & quicquid uspiam fuit litterarum euoluere, & res inde maxime consentaneas eligere quidem potuimus: decidere autem inter antiquos, & decidendo notare quemquam non est scilicet eius modestiæ, quam profitemur. Populo Mediolanensi propria quadam & nativa caritate memori Pontificum suorum, pietas er-

ga

ga Kalimeri nomen , & recordatio tanti pastoris velut hæreditaria successione transmissa per omnes ætates durauit in hoc tempus , eaque flagrantibus studijs declarata est , cum sacrosancta ipsius ossa , quæ Francisco Sforzia regnante inuenta quondam fuerat , proxime in publicam lucem efferrentur. Tunc deduci suspensis omnium oculis inclytum gestamen , & quia Kalimeri corpus illud esse vulgabat fama , cooriri præ gaudio lacrymas , & plangi pectora iestibus repetitis vidisses . Voces etiam exauditæ multorum , qui parentem & aduocatum suum appellarent , cum scilicet verecundia celebritatis & pompæ , lætitiam animorum continere non posset . Eius nomini sacra ædes visitur propter puteum , cuius aqua , sacri corporis contactu vim salutiferam accepisse credita est , & huic famæ multi mortales assensi medicos inde latices petunt . Nec minor olim frequentia , propter aram , quam aureis laminis opere sumptuoso bracteatum Thomas Crassus Archiepiscopus item Mediolanensis extruxerat ; factilegæ postea manus nudauere . Antea fuerat is locus prophani soli , sicuti dictum est . Sed ubi Christiana sacra præpotuere , cessit Romulus Kalimero , & Apollinis inane nomen sacer Apollinatis honor aboleuit .

L